C.f.
35.

C
f:35

3 B j 22

A.A.g. 50

DE CHRISTIANO
ET POLITICO DECVRIONE
TRACTATVS

LEGENDVS NON SOLVM A CONSILIARIIS qui Communitates regunt, & in foro verſantibus, ad pulcras quæſtiones decidendas, verum etiam ab omnibus bonarum artium ſtudioſiſſimis.

AD ANGELOS CVSTODES Communitatum Chriſtianarum.

AVCTORE D. IO. PETRO ALA PATRITIO AC Decurione Cremonenſe, I.C. Collegiato Com. & Equite, & ex Venerabilibus Conſultoribus officij Sanctiſs. Inq. in quo etiam Aduocati Fiſcalis munus, cum ſumma fide, & pietate exercet.

Eiuſdem, Diſciplina ſpiritualis ad Decuriones, & ſigna Ciuitatis corruptæ, cum Indice quæſtionum.

ALESANDRINA



CREMONAE, Sumptibus Marci Antonij Belpieri.
Superiorum permiſſu. M. DCXIII.

1593

Ego F. Michael Zanardus Bergomenſis ex Cignano, in Conuentu S Dominici Cremonæ, Sacræ Theologiæ primus Lector, vidi hoc opus per Illuſt. & Eccell. D. D Io. Petri Alæ patritij Cremonenſis ac I.C. collegiati clariſſimi cuius titulus eſt, De Chriſtiano, & Politico Decurione, nihilq; in eo quod catholicam fidem, & bonos mores lędere poſſit inueni. Quinimo vtile admodum, ac proficuum Chriſtianis decurionibus exiſtimaui, ad pietatemq; Chriſtianam excolendam, ac ad omnem bene ordinatam Rempublicam conſeruandam, ac promouendam neceſſarium cenſui, & ideo dignũ impreſſione. Cremonæ die 27. Ianuarij 1613.

Ita atteſtor Ego F. Michael Zanardus qui ſupra.

Videmus, & approbauimus ad prælum.

F. Deſiderius Inquiſit. Gen. Cremonæ.

AD
ANGELOS
CVSTODES
COMMVNITATVM REIPVB. Chriſtianæ.

IO. PETRVS ALA I. CONS. Collegij Cremonenſis, & Decurio.

CVM humani generis amantiſſimus Deus, dediſſet illi quæ ſub cœlo ſunt, eius quoque infinitæ bonitati congruere exiſtimauit, è Cælo vos illi cuſtodes dare adminiſtratorios Spiritus, vt non ſolum ab externis incomodis vnumquemque hominem ab eius ortu præſeruaretis, verum etiam ab internis animæ periculis, veſtra vigilantia ſubduceretis; poſtqnam enim originalis culpæ labes, e lapſu primorum parentum in omnem poſteritatem emanauit, improuidus, & impotens factus fuit homo ad pericula vitanda, multò verò imbecillior ad virtutes exercendas, ſine quibus, nec veram imitationem Chriſti Redemptoris aſſequi, nec ad promiſſam gloriam peruenire poteſt: quamobrem, veſtra eum cuſtodia communiuit, in quo munere, tanta fide, ac diligentia verſa-

mini, optimas ſemper cogitationes excitando, laborantes adiuuando, pugnantes hortando, aſſiduè protegendo, mœrentes conſolando, & noua ſemper à Deo auxilia impetrando, vt (cum id neceſſitas poſtulat) nullum ſit momentum temporis, veſtris beneficijs in miſeros homines vacuum; quos, ſi veſtro miniſterio è faucibus antiqui hoſtis ereptos, in veſtrum numerum Deo miſerante perducitis, nemo inter mortales poteſt adæquare ſenſu immenſum illud gaudium, quo veſtræ Angelicæ mentes perfunduntur, cum hanc vilem creaturam, à Deo vobis commendatam, ad tantum cœleſtis dignitatis gradum videtis extolli, vt impleat ſedes vacuas, & veſtras ruinas inſtauret: Ab hoc etiam fonte Diuinæ pietatis, maximum illud beneficium fluxit, quod Ciuitatum, Prouintiarum, & Regnorum Curam vobis demandauit, vt non ſolum ſingulis hominibus, quid facere, quid vitare debeant, ad ſalutem æternam aſſequendem fideliter ſuggeratis, ſed etiam recta ſemper proponatis Conſilia Rectoribus populorum: quibus, ſi obtemperare velint, facile poſſint, multitudinem Ciuium ſibi commiſſam, iuxta præcepta diuinæ legis benè gubernare, in quam curam incumbentes, incredibili flagratis deſiderio, vt iſtæ ciuium terrenæ Societates, ad normam cœleſtis Hieruſalem, quantum fieri poteſt, dirigantur, vt quemadmodum vos omnes Beati Spiritus, vna, & eadem voluntate, Diuinæ Maieſtatis gloriam tueri, & augere enitimini, ſimili ratione, qui Communitatibus præſunt, Chriſtiana concordia, & pace conſociati, hoc munere perfungantur, ad Deum omnia referentes, cuius au-

ctorita-

ctoritatem exercent, vt Diuus Bernardus ſecum ipſe aliquando conſiderauit, & nobis pia, & ſuaui meditatione, contemplandum propoſuit; quod dum memoria repeto, & mente inflammata reuoluo, me mouente ex vobis eo, qui ſua cuſtodia mihi aſſiſtit, eam mihi opinionem facile patior perſuaderi, vt ex illorum ſtudijs, laboribus, atq; Vigilijs maximam delectationem percipiatis, qui Ciuilia gubernandi præcepta, cum pietate in Deum coniuncta, non ſolum ad propriam eruditionem colligunt, verum etiam ad communem aliorum vtilitatem euulgant: huiuſmodi enim homines, Angelico veſtro impulſu concitati, ad diuinam gloriam in Regendis Ciuitatibus exquirendam, quid aliud ſpectant, aut cogitant, quam, vt veſtro miniſterio, pro virili ſua cooperetur, neq; enim ſine maximo dolore animi cogitari poteſt, quam multi exiſtant, inter eos, qui Communitatum gubernacula tractant, qui, falſa quadam prudentia innixi, neq; ſummum bonum, nec media verè bona ſuis conſultationibus querunt: nihilq; penſi habent, an Deus ſummè bonus quotidianis peccatis offendatur, modo ſuis cupiditatibus ſatisfaciant; quod ſanè genus hominum, in hac colluuie temporum in quæ incidimus, admodum frequens eſt in Ciuitatibus magnis, quæ magno numero Conſiliariorum adminiſtrantur, inter quos, ſedent quàm plures, non ſolùm doctrinis ciuilibus non exculti, verùm etiam in rebus agendis omninò rudes, & prorſus imperiti, hoc tàm ſancto munere abutentes, vt ſuis tantum rationibus ſeruiant. quamobrem, cum multorum menſium ſucciſiuas horas in his præceptis inſumpſerim, quibus infor-

mati Chriſtiani Decuriones, legales, & politicas propoſitiones cum Chriſtiana diſciplina facile coniungere, populis ciuilē fœlicitatem, ſibi verò æternā gloriā cōparare poſſent, hunc libellū conſcripſi, ex mortalibus nemini dicandū in quibus, quod ſperaui, numquam inueni, nec amplius ſperare volo. Vos igitur Angelicos Spiritus, Principes Paradiſi, in Miniſterium noſtrum à Deo datos; cuſtodes Ciuitatum. fideles negotiatores, noſtræ ſalutis ſtudioſiſſimos, optimorum conſiliorum ſuggeſtores; natura excellentes, intellectu velociſſimos; quam plurimis diuinis donis cumulatiſſimos; ex omnibus creaturis præcipuos elegi; quibus, hos meos labores, qualeſcunque ſint, animo deuotò conſecrarem: vos enim, vt ſcriberem, à Deo mihi omnia impetraſtis, & quæ ſcripta ſunt, pro veſtro munere in lectorum animos inſtillare poteſtis, vt diuinæ Maieſtatis gloria, quam ſolam exoptaſſe me, vos teſtes appello, in publicarum rerum adminiſtrationibus perficiatur à quibus, ſummopere cupio, omnem priuatum reſpectum, qui publica Conſilia corrumpit, ſegregari, ſuſcipite ergo in fidem veſtram hunc meum partum tertiogeuitum, vt ad qnotidianum cultum, & obſequium, quod vobis intra meos parietes, licet frigide ſoleo exhibere accedat hoc publicum teſtimonium, meæ in veſtros ordines venerationis maximæ, & animi grati ſignum, ad ſumma beneficia recolenda, quæ in me ipſum, & Patriam meam aſſidue confertis, numero infinita, & pondere inæſtimabilia; voſque quanta poſſum animi pia demiſſione rogatos velim, vt vnà cum Sanctiſſima Regina ueſtra, cuius cauſa,

poſt

poſt Deum omnia volo, & debeo, tantum ab eo luminis, & amoris incrementum mihi impetretis, vt abſque vllo mentis errore diuinam eius voluntatem intelligam, & in me adimpleri cupiam: quia eadem eius manus, idem amor, & iucundas res impertit, atque iniucundas: pro patria mea, & Collegis meis in ea gubernanda ſupplex à vobis peto, vt eam ab omnibus periculis, quæ ceruicibus ſuis imminent, liberetis: eos autem omnibus Spiritus Sancti donis repleatis, vt qui recta volunt, confirmentur, & diuina ſapientia erudiantur, qui verò aliud volunt, quam Deus velle iubet, vt hoc ſummopere velint, & ſemper faciant, ad Deum corde conuerſo, perficiatis. Cremonæ die prima Iulij 1613.

Ad Lectorem.

QVEM tibi librum pollicitus fui ſuperioribus annis Lector in Chriſto dilectisſime, in editione mei Tractat. de Aduocato, & Cauſidico Chriſtiano, in quo Decurionē Chriſtianum informarem, nunc tibi exhibeo, ac dono: in primis id ſpectans, vt Deo rem gratam faciam, ſupra quam dici posſit exoptanti, vt Conſiliarij Communitatum, ad normam ſuæ ſanctæ legis hoc munere defungentes, populos bene regant, & eius diuina gloria in Cœlo perfruantur: in eam enim temporum iniquam conditionem incidimus, vt publici boni nulla ratione habita, multi in Ordinem Decurionum eligantur, viri ineptisſimi, & prorſus imperiti illorum præceptorum, quæ Deus præſcripſit ad Rempub bene adminiſtrādam, quod genus hominum, cum numero vincat bonos, plerunq; fit, vt malis deliberátionibus, communes res in exitium ruant; id verò perpetuum, vt omnipotens Deus, quotidianis peccatis offendatur, quę tanto ſunt difficiliora curatu, cum incognita ſint, & cuiuſdam falſæ prudentiæ, ſiue conſuetudinis deprauatæ nomine tecta, atq; ve-

lata,

lata, quomodo ergo ad ſanitatem reduci pote-
rant? quia, initium eſt ſalutis nôtitia peccati,
inquit Seneca: poſt autem ſtudiū Diuinę glorię,
ille me ſtimulus excitauit, vt me vixiſſe poſtera
ætas intelligat, & ſaltem laudet conatum egre-
gium, vt Patriæ, & Reipub. Chriſtianę non præ-
ſente ætate ſolum, ſed omnibus ſęculis proſim,
asſidue enim mihi verſatur in animo illa Senecæ
grauis obiurgatio, quæ omnium ingenia debe-
ret acuere, Nihil eſt turpius quam grandis natu
ſenex, qui nullum habeat aliud argumentum,
quo probet ſe diu vixiſſe, quam multos annos:
quod ualde cuperem ab his bene perpendi, qui
ſuperba elatione animi nimis inflati, deſpiciūt
alios, qui laudabilibus ſtudijs occupati, maxima
mole rerum agēdarū opprimi nolunt, ſed in eos
labores intenti ſunt vt à Deo gratiam, & gloriā
conſequantur, & ſui nominis perpetua claritate
refulgeant. illorum enim memoria peribit cum
ſonitu campani æris, & pompa exequiarum: quo
tempore, iſtorū fama, terrarū orbem cum ſumma
laude peruolitabit. Poſtera enim ætas, ſine liuore
eſt, vt dicebat ille: quo genere argumenti horta-
tur Plin. Caninium Rufum Epiſtola 7. lib. 3. vt
famam ſtudijs proferat, quibus teſtari posſit ſe
diu vixiſſe: Ad hęc, temporalia bona quę habeo,
non ſemper mea futura ſunt, ſed hæ lucubratio-
nes ingenij qualeſcunq; ſint, cum cœperint eſſe
meę numquam deſinent, ut idem Plin. ad eun-
dem Caninium Epiſtol. 3. lib. 1. obſeruatum
reliquit, illum incitans ad aliquid ſcribendum,
& euulgandum: in quo libro, multas propoſi-
tiones

tiones iuris breuiter fui perſecutus, ut etiam in foro posſit eſſe fructuoſus, & quædam præcepta humanę prudentiæ adiunxi, quæ ſi cum uera pietate miſceantur, in rebus conſultandis, non mediocrem utilitatem erunt allatura non ingredi tamē uolui latisſimum campum illarum rerum, quę in Conſilijs Ciuitatum liberarum pertractari ſolent, quia à meo inſtituto abhorrebant, tantummodo ſuſcepto, ut Conſiliarios Communitatum ſubiectarum, pro mea virili erudirem, ſcio permulta alia aggregari poſſe, pręſertim ex conſultabilibus rebus, quæ inter ipſos diſputantur, ſed hoc mihi uſurpaui, quod prudentes, & cauti Imperatores militum facere ſolent, ducturi copias per ignota loca, cum præmittunt aliquos milites ad itinera exploranda: has igitur centū quinquaginta quęſtiones præmiſi ante alias, ad exploranda iudicia hominum; quos ſi intellexero, non pesſime ſentire, bene locatos labores meos exiſtimabo, & alacrior efficiar, ad ſecundam partem conſcribnedam, vt etiam hoc ſeruaui, edens primam, memorati libri de Aduocato, qui iam in multas Prouincias, & remotas penetrauit. Hoc inſuper te admonitum uelim, benigne Lector, me uitia ingenue repræhendiſſe, nō aliquem mente mea notaſſe, aut ſcribendo delineaſſe: quod ſi quiſpiam conſcientiam ſuam aliqua culpa maculatam, in hoc libro, tanquam in lucido ſpeculo contemplabitur, hoc mihi uitio non vertat, nec ſubiratum ſe mihi prębeat; ſed ſuſcepto conſilio Chriſtianæ emendationis, conetur ita uerſari in hoc periculoſo munere, ut

Deo

Deo charus, & Patriæ utilis eſſe poſſit. Vale: & ſcias me mihi tanti non eſſe ut credam, me quid perfectum, & omnibus numeris abſolutum edidiſſe: quod boni in eo uideris, à Deo eſt, omnium bonorum auctore, nullusq; eſt tam malus liber, à quo, bene affectus Lector, aliquid boni haurire non poſſit, vt Pliniano Adagio circumfertur, quod ſi in manus aliquorum inciderit, qui, pro ſua iniquitate animi nihil vnquam laudant, tanta atq; talia & ipſi ſcribant. vt paulò æqui ceteri æſtimatores, de his, & me iudicium faciant.

AD

ANGELOS

CVSTODES

Vrbium.

ADMODVM R. D.
Barnabæ Portæ, Cremonenſis.

CVinam beati Spiritus, queis credita.
Vrbes tuendi, & protegendi Cœlitũ
Eſt Rege cura, iſtos labores nobiles
Niſi Ala vobis dedicare debuit,
De veſtro agentes eleganter munere?
Vos indidiſtis argumenta; lumina
Vos prætuliſtis, proſecuti à carcere
Ad vſq; calcem; iure uobis optimo

Ergo

Ergo dicati conſecrantur: numine
Adeſte veſtro Partui concredito.
Et inde fructum, queis prȩeſtis, Vrbibus,
Et ſingularum ſingulis uos Ciuibus.
Indeſinent er à Deo contendite;
Hominemq; uobis ſic ſodalem aſciſcite.

EIVSDEM
AD DECVRIONES Vrbium.

QVID pro lege Dei, pro Ciuis moribus æqui
Inſtituat Proceres, Orbis, bene doctus utrumq;
Nobilis Ala docet, terram metitus Olympo.
Annuite, ò Proceres, Conſortis lumine ueſtri
Diſijcite, ò tenebras; mores componite ueſtros:
Nobilitas Virtute magis, quam, nititur auro.

EIVS-

EIVSDEM
Ad Auctorem.

QVOT uanos hominum Conatus gloria uana
Pendit; qua excepta, præmia nulla ferunt?
Quin Mundi ut captant auras, ſic exit in auras
Ipſorum nomen, nec ſonus ipſe manet:
At ſtudia ut ſpectant tua ſemper ſydera; ſtabunt
Sic, æuo æterno conſocianda Polo.
Quid? ſtabit meritũ, meriti manſuraq; merces;
Nam merces meritis eſt Deus ipſe tuis:
Inq; dies meritis, prò fructu, acceſſio fiet;
Sol ſtatuet meritis ultimus, Ala, modum.
Viuere ne cures, iturus in ora uirorum:
Verius in uero uiuitur, ecce, Deo.

EIVS-

EIVSDEM
Ad eundem.

CEdant arma Togæ: ſed longi præſtet vtriſq;
Qua in primis præſtas, Religionis honor.
Hæc magis ingenio, quàm doctrina, addidit Alas;
In terra hinc poſitus, tollis ad Aſtra caput:
Hinc facili, doctoq; ſtylo quàm maxima tractas;
Plus genus atq; tuum nobilitate nitet.
Ciuibus egregijs Patriæ es pro millibus vnus:
Hinc, ſibi tu quanti ſis faciendus, habet.

EIVS-

EIVSDEM
Ad eundem.

FVLCIRIS duplici vita; quarum altera tranans
Nubila, luminibus noſtris ſubtracta per auras,
Seuocat humanis puram ad cœleſtia mentem:
Altera ſe humanis offert aſpectibus, atq;
Intactis pennis infectas incolit oras;
Et procul à terris terrena negotia tractat:
Hinc Alę vnius tibi Stemmate candet imago.

INDEX QVAESTIONVM QVAE IN HOC VOLVMINE,

DE CHRISTIANO, ET POLITICO Decurione continentur.

QVA de cauſa fuerint inſtituta Concilia Ciuitatum. Quæſtio 1. *cart.* 1.

De bona electione Decurionum, Quæſtio 2. *cart.* 2.

Quid prius facere debent Decuriones legitime congregati, quam tractent publica negotia, Quæſtio 3. 5

De ætate eligendorum ad Decurionatum obſeruanda. Quæſtio 4. 8

An vigeſimus quintus annus, in minore nominato ad Decurionatum, ſufficiat ſi ſit inchoatus. Quæſtio 5. 10

De nobilitate conſideranda, in promouendis ad ordinem Decurionum. Quæſtio 6. 11

An nobiles ruri degentes, comparandi ſint cum nobilibus, qui Ciuitates incolunt. Quæſtio 7. 15

De facultatibus Decurionum eligendorum conſiderandis. Quæſtio 8. 16

Quod non debeat in Ordinem Decurionum admitti, qui ſuam domum gubernare neſcit. Quæſt. 9. 18

An Decuriones debeant eſſe literati, vt cooptari poſſint. Quæſtio 10. 20

De notitia rernm Communitatis Decurioni neceſſaria. Quæſtio 11. 21
De cognitione Hiſtoriæ, Decurionibus vtilisſima. Quæſtio 12. 23
De magnificentia, in Chriſtiano Decurione neceßaria. Quæſtio 13. 25
Quid ſpectari debeat ante omnia in Decurionibus eligendis. Quæſtio 14. 27
An pater posſit ſuffragari filio. Quæſtio 15. 29
An ex duobus nominatis, ſufficiat eligere dignum, vel dignior ſit eligendus. Quæſtio 16. 30
An & quando excuſentur Decuriones, ſi non numquam eligant indignos. Q*uæſtio* 17. 31
An, & quando debeant Decuriones ea detegere, quæ obſtant nominatis ad publica munera. Qnæſtio 18. 33
An, & quomodo posſint Ciues, ſine peccato cupere, in ordinem Decurionum admitti. Quæſt. 19. 36
Quomodo Ciues debeant ſe gerere in Decurionatu petendo. Quæſtio 20. 42
Quomodo posſit, ac debeat Chriſtianus Decurio ſententiam ſuam explicare. Quæſtio 21. 44
De diuina lege à Decurionibus exquirenda. Quæſtio 22. 46
Qua ratione posſint Decuriones auctoritatem ſibi conciliare. Quæſtio 23. 49
Quod vbi posſint omnes Decuriones venire debeant præmeditati ad Conſilium. Qnæſtio 24. 51
Quid facere debeat Chriſtianus Decurio, qui à communi aliorum opinione dißentiat; Quæſt. 25. 52
De Decurione, Conſilij ſecreta reuelante. Quæſtio 26. 54
De

De Prudentia Chriſtiani Decurionis moderanda. Quæſtio 27. 58
Quod Chriſtiani Decuriones eniti debent, vt intelligant vim, & naturam cuiuſcunq; virtutis. Quæſtio 28. 60
De fine Chriſtiani Decurionis. Quæſtio 29. 61
Quod Chriſtianus Decurio inquirere debeat veram cauſam malorum publicorum. Quæſtio 30. 65
Quid exiſtimare debeant Chriſtiani Decuriones de ſuis recte factis in Repub. adminiſtranda. Quæſtio 31. 69
De iuramento quod ſubire debent electi ad Decurionatum antequam in poſſeſſionem muneris inducantur. Quæſtio 32. 72
Quomodo Chriſtiani Decuriones obedire debeant Principibus ſuis. Quæſtio 33. 74
Quod Chriſtianus Decurio debet eſſe valde ſollicitus de commodis pauperum, Quæſtio 34. 82
Quomodo ſe gerere debeat Chriſtianus Decurio, in controuerſiæ de Iuriſdictione Eccleſiaſtica, & ſæculari. Quæſtio 35. 88
De Decurione nimis facili ad promittendum. Quæſtio 36. 92
An & quando debeat Chriſtianus Decurio conſentire mutationi legum, vel ſtatutorum. Quæſtio 37. 95
De adulatione à Chriſtianis Decurionibus euitãda. Quæſtio 38. 99
Qua lance ponderanda ſint conſilia, & actiones Chriſtiani Decuriones, Quæſtio 39. 101
Quod Chriſtiani Decuriones, in eam curam incũbere debent, vt pueri bene educentur. Quæſt. 40. 102

Quæ conſideranda ſint à Decurione Chriſtiano, vbi agatur de confirmatione Officialium. Quæſtio 41. 105
Si Decurio iuſſus venire ad Conſilium ſub pœna pecuniaria, venerit Conſilio inchoato, an euitet pœnam. Quæſtio 42. 108
An ad excuſandos Decuriones, qui non venerunt, ſufficiat completum fuiſſe numerum legitimum ad Conſilia capienda. Quæſtio 43. 109
An Decurio gratioſus apud aliquem magnum virũ excuſari poſſit, ſi taceat, aut minus recte loquatur, ne eius voluntatem offendat, apud quem dicat, ſe poſſe auctoritate ſua alia negotia Ciuitatis adiuuare. Quæſtio 44. 111
An ea de cauſa poſſint Chriſtiani Decuriones abſtinere à Decurionatu exercendo, quod videant ſe non poſſe iuuare Ciuitatem corruptam. Quæſtio 45. 112
De zelo Chriſtiani Decurionis comprimendo. Quæſtio 46. 118
De quadam egregia arte, qua vti poſſunt Chriſtiani Conſiliarij ad perſuadendum. Quæſtio 47. 120
Quod Chriſtianus Decurio, facile non debeat multis ferendis legibus ſuffragari. Quæſtio 48. 122
Quomodo Chriſtiani Decuriones poſſint ſimulare. Quæſtio 49. 123
Quid facere debeant Chriſtiani Decuriones, qui per alium velint, cum vno ſimulare. Quæſtio 50. 125
Vtrum Decurio Chriſtianus poſſit conſulere minus malum, vt maius euitetur. Quæſtio 51. 126
Quid cõſiderare debeant Decuriones in Legatis eligendis. Quæſtio 52. 127

Quid conſiderare debeant Chriſtiani Decuriones, in conſtituendis Salarijs, & extraordinarijs remunerationibus Aduocati, & Sindici ipſius Communitatis. Quæſtio 53. 129

Quam grauiter errent Chriſtiani Decuriones, vbi agatur de aliquo inueterato vitio extirpando vel corrigendo, ſi Prædeceſſorum conniuentiam obijciant. Quæſtio 54. 131

De futuris euentis, à Decurione Chriſtiano cogitatione præuidendis. Quæſtio 55. 133

De ſententijs medijs, maxima prudentia examinandis. Quæſtio 56. 134

Quam grauiter decipiantur Chriſtiani Decuriones, qui actionibus ſuis putant, ſe ſemper placere poſſe Deo, & hominibus. Quæſtio 57. 135

Quid ſi vnus Decurio, priuata affectione motus, proponat aliquid, quod bonum publicum reſpiciat. Quæſtio 58. 139

An aliquo caſu poſſint Decuriones iure prætendere duas voces in Conſilio. Quæſtio 59. 141

De Decurione, qui habeat duas voces in Conſilio. Quæſtio 60. 142

Numquid Decuriones miſſi à Communitate extra Patriam, ad aliquid agendum, poſſint aliquid iure petere vltra expenſas neceſſarias. Quæſtio 61. 143

Quod Decurio Chriſtianus, debeat aliquas imperfectiones Officialium Communitatis, prudẽter diſſimulare. Quæſtio 62. 145

An Chriſtiani Decuriones poſſint cõqueri apud Principẽ, de nimia frequẽtia delictorũ, & aliqđ remediũ petere ad illam coercendam. Quæſtio 63. 146

Vnum deceat, Ordinem Decurionum à Principe de- peccari veniam, vel leuationem pœnæ, pro aliquo Ciue delinquente. Quæſtio 64. 149

Quod Chriſtianus Decurio, facile non debeat in Officiales concitari, vt ad eorum exiſtimationem apud Principem deminuendam, ſua ſententia ſuffragetur, quęſtio 65. 152

An aliquo caſu poſſit Conſilium congregari, ſine auctoritate, & præſentia ſuperioris, quæſtio 66. 153

An, & quando poſſint Decuriones gerere aliqua publica officia antequam eligantur, quæſt. 67. 154

Au ſemper vocandi ſint omnes Decuriones. quæſtio 68. 155

Quid præcauere debeant Decuriones, in proponendis negtijs in conſilio conſultandis. quæſt. 69. 155

Quod Chriſtianus Decurio, patienter, & moderate debet audire alios, qui ſententiam dicunt, licet ineptam, & modeſtè contradicere. quæſt. 70. 157

Quomodo debeant Chriſtiani Decuriones, celebrare dies feſtos Sanctorum, Protect. rum ſuæ Communitatis. quæſtio 71. 160

Quomodo debeant Decuriones vti vera libertate dicendi. quæſtio 72. 162

Si Decurio velit iuſta cauſa hoc munere ſe abdicare, cui ſit renuntiandum. quæſtio 73. 155

An Ciuis emendatus præferri debeat, illi, qui numquam male audiuit. quæſtio 74. 167

An Decuriones poſſint participare in ſubhaſtationibus rerum ipſius Commnnitatis, quæſt. 75. 168

An aliquo caſu, poſſint Decuriones permittere, vt Officiales Communitatis biennales, cōtinuent in

eodem officio, abſq; interuallo quinquennij.
Quæſtio 76. 170
Si in aliqua Ciuitate ſit vnus Iudex Criminalis, & alter Ciuilis, qui eorum habeat auctoritatem cõuocandi Concilium, & illi præſidendi.
quæſtio 77. 171
Vtrum Decuriones poſſint vnum ex ſeipſis ad aliqua officia eligere, quæſtio 78. 172
Quomodo ſe gerere debeat ille Decurio, qui ad plura negotia, quam alij, adhibeatur, quæſt. 79. 174
Quomodo ſe gerere debeant Chriſtiani Decuriones cum videant, vnũ vel plures, ad omnia fere munera, & negotia adhiberi, Quæſt. 80. 176
An Decurio qui fuit relegatus ad tempus, deſinat eſſe Decurio, & reuertens, recuperet ſuum locum. Quæſtio 81. 177
Quid præcauere debeant, qui nominant alios ad publica munera, quæſtio 82. 178
An negligentia Decurionis in rebus publicis, excuſetur per negligentiam in proprijs, quæſt. 83. 179
Quo remedio facile poſſent Decuriones in officio cõtineri, quæſt. 84. 180
Quod Decuriones qui non interfuerunt Conſilio, nõ debeant eius acta reprehendere, quæſt. 85. 182
Quod Decurio Chriſtianus eniti debeat, vt factis, omnes qui ſecum agunt, vel verbis conſoletur. quæſtio 86. 183
De Decurionibus electis ad ſuffragia numeranda. quæſt. 87. 185
Qua ratione poſſit confirmare animum ſuum Chriſtianus Decurio, ad publicum negotium exequẽdum, quæſt. 88. 186

Quid fieri deberet, vbi ſuffragia Decurionum ſint paria, erga duos nominatos, quæſt. 89. 187
Quando, & qua hora, Decuriones Congregari debeant, quæſt. 90. 188
Quod Decuriones non debeant aliqua delicta, licet minima diſſimulare, quæſt. 91. 190
Quid conſiderare debeant prudẽtes Decuriones, vbi velint aliquid noui, in Rempub. introducere. quæſt. 92. 191
Quanta ſi poteſtas Decurionis in rebus Communitatis donandis, quæſt. 93. 193
An Ordo Decurionũm habeat ius ſuccedendi in bonis Decurionis, qui decedat inteſtatus. quæſt. 94. 194
An Decuriones poſſint humanam gloriam, & laudem appetere, quæſt. 95. 195
Quomodo ſe gerere debeant Chriſtiani Decuriones, erga eos, quos ad aliquid officium promoueri curarunt, quæſt. 96. 197
An ſint excuſandi Decuriones, qui non venerunt in Conſilium Ruſticis negotijs occupati. quæſtio 97. 198
Quid ſit faciendum à Chriſtiano Decurione, vbi videat aliquod malum, in Ciuitate exoriri. quæſtio 98. 202
Quod Decurio chriſtianus, non debeat leuia munera, à conſilio ſibi commiſſa detrectare: quæſtio 99. 203
An Decurio, qui contradixit rebus deliberatis, poſſit, aut debeat conuenire cum alijs ad eas exequendas, quæſt. 100. 205
Si aliquis electus in officialem Communitatis, pro biennio,

biennio, certa die inchoando, impeditus fuerit aliquot menſes in adminiſtratione, vtrum posſit ſibi ſupplere menſes impedimenti, in futuro biennio, quæſtio 101. 206
An ſemper expediat Seniorem Congregationis verba facere, quæſt. 102. 207
De Decurionibus, qui nemini ſuffragari volunt niſi rogati, quæſt. 103. 208
Quod prudentes decuriones debeant rerum agendarum occaſionem diligenter amplecti. quæſtio 104. 210
Stante ſtatuto quod Conſiliarij non venientes ad Cōſilium, ſoluant quatuor aureos, diuidendos inter conſiliarios, numquid, condemnati vocandi ſint ad diuiſionem, & habeant partem. quæſtio 105. 211
An aliquo caſu ſufficere poſſit maior pars Conſiliariorum, in eo negotio, in quo, requiruntur omnia ſuffragia, quæſt. 106. 212
Qua ratione poſſint decuriones, deuincire ſibi animos illorum, à quibus, pro publico bono, aliquid petunt, quæſt. 107. 212
Quomodo ſe habere debeant Chriſtiani decuriones, erga Ciues nobiles depauperatos, qui, officia Communitatis petant, quæſt. 108. 214
Quid conſiderare debeant decuriones in his, qui nominatur ad aliqua negotia tractanda, aut exequenda, quæſt. 109. 215
An debitores Communitatis, ad eius officia admitti posſint, quæſt. 110. 217
Quod decuriones non debeant vni Ciui, multa officia vel negotia committere, quæſtio 111. 218

Quid in Conſilio proponere poſſet Chriſtianus decurio, ad pacem Communitatis conſeruandam. quæſt. 112. 219

Quid inquirere debeant decuriones, in famulis Communitatis eligendis, quæſt. 113. 222

Vtrum illi decuriones qui ſine legitimo numero, uel auctoritate, aliquid promittunt, obligent totam Communitatem, quæſt. 114. 223

An Conſilium generale decurionum, ex cauſa publicæ neceſſitatis, posſit cogere Ciues particulare ad ſe obligandum pro Communitate. quæſtio. 115. 223

De decurionibus vocatis, & recuſantibus venire ad Conſilium, qui iubent per præconem renuntiari, ſe non fuiſſe domi ab eo repertos, quæſt. 116. 224

Quomodo ſe gerere debeant decuriones, erga Theſaurarium pecuniæ publicæ, quæſt. 117. 225

Si aliquo caſu licito ommittatur ſubbaſtatio, vtrum Chriſtiani decuriones debeant dare honorantiam pro incantu, quæſt. 118. 226

De peccatis decurionum in vocandis adiunctis, quæſt. 119. 228

Numquid in æſtimandis, & puniendis malefactis miniſtrorum Communitatis debeant decuriones ea cum benefactìs compenſare, quæſt. 120. 229

Quod prudentes Decuriones, cum animoſis coniungi debent, quæſtio 121. 231

An decuriones poſſint accepta pecunia concedere alicui Ciui immunitatem, quæſtio 122. 232

An decurio posſit appellare à decretis Conſilij generalis, quæſt. 123. 233

De decurione qui non permittit Conſeruatorem Ordinum

dinum in munere ſuo fideliter verſari. quæſtio 124. 234
Quid facere debeat decurio, in Conſilio minori Ciuitatis, quæſt. 125. 235
An, & quando poſſint Chriſtiani Decuriones, proponere Principibus ſuis, vt officia vendant. quæſt. 126. 237
Numquid Decuriones electi ad aliquam Legationem, poſſint à Communitate repetere damna, quæ ſibi caſu fortuitò contigerunt, quæſt. 127. 239
De decurione Legato, qui, vt ab aliquo magno viro, priuatam in eat gratiam, prodit publicam cauſam excedendo fines mandati, quæſt. 128. 240
An & quando Decurio electus ad aliquam Legationem poſſit pro ſe vel alio aliquid impetrare. quæſtio 129. 241
De decurionibus ad aliquam Legatiouem electis, qui, ſecum plures deducunt ſocios, quam ordo decurionum illis decreuerit, quæſtio 130. 243
Quomodo poſſint prudentes Decuriones, aliquorum petionibus reſpondere tacendo, quæſt. 131. 244
An aliquo caſu poſſint decuriones dicere ſententiã, non congregati cum alijs, quæſtio 132. 244
An, & quando poſſit Ordo decurionum mittere Legatos ad Regem, ſine licentia Gubernatoris vel Viceregis, quæſt. 133. 245
An ſemper debeant Conſiliarij Togati, primi omniũ ſententiam dicere, quæſt. 134. 246
An, & quando decuriones eligentes aliquem ad aliquod officium, poſſint electionem reuocare. quæſtio 135. 247
Quid facere poſſet Ordo Decurionum, vt excitentur

Clues ad bonum publicum excogitandum. quæſtio 136. 248
Quid cauere debeant Chriſtiani decuriones, alicuius muneris ſocietate coniuncti, quæſt. 137. 249
Quid ſi decurio, conſilio ſuo iuuaret hoſtem Regiũ. quæſt. 138. 251
An nominatio decurionis habentis vnum officium, ad aliud incompatibile, poſſit impugnari, per quẽ libet de populo, quæſt. 139. 251
Quid præſtare debeat Communitas bene gubernata, erga ſuos Decuriones. *quæſtio* 140. 252
Qua ratione poſſent Chriſtiani decuriones, explorare fidem, & ingenium illorum, qui petunt publica Officia, quæſt. 141. 254
Quomodo poſſint Chriſtiani decuriones, vti rationibus humanis, ad perſuadendũ, quæſt. 142. 256.
Quid facere debeant Chriſtiani decuriones, vbi videant monetam adulteratam, quæſt. 143. 258
An poſſint ſtatuere decuriones, vt in aliquo actu neceſſarius ſit conſenſus omniũ, quæſt. 144. 260.
Quam cauti eſſe debeant Chriſtiani decuriones in Officio cõmendationis exhibendo, quæſt. 145. 261
Quod Chriſtiani decuriones abborrere debeant ſtudia factionum, quæſt. 146. 262
An debeãt decuriones promulgare nouas leges, pro omnibus defectibus euitandis, quæſt. 147. 263
Quid ſi conſilium habens ius eligendi aliquos No*tarios, eos elegerit, ſuperior verò, alios, quo remedio poſſint* Decuriones *tueri iura Communitatis, quæſtio* 148. 265
Quid cõſiderare debeant prudentes Decuriones, vbi velint ſuprema officia conferre, q. 149. 266

An

An ſemper expediat delegare paucis, auctoritatem totius couſilij. quæſt. 150. 269
Numquid vnus decurio poſſit ſine mandato impetrare literas pro communitate, q. 151. 270
De quibuſdam ſignis Reipub. corruptæ, & citò interituræ: quæſtio 152. 271
Diſciplina Spiritualis ad Chriſtianos Decuriones, qua poſſunt in ſua vitæ conditione, ſeipſos excolere virtutibus ſanctis. 275
Præceptum primum. 278
Præceptum ſecundum. 278
Præceptum tertium. 279
Præceptum quartum. 279
Præceptum quintum. 280
Præceptum ſextum. 281
Præceptum ſeptimum. 282
Præceptum octauum. 283
præceptum nonum. 284
præceptum decimum. 285
præceptum Vndecimum. 286
præceptum duodecimum. 287
præceptum decimumtertium. 287
præceptum decimumquartum. 288
præceptum decimumquintum. 288
præceptum Decimumſextum. 289
præceptum decimumſeptimum. 289
præceptum decimumoctauum. 290
præceptum decimumnonum. 291
præceptum Vigeſimum. 292
præceptum Vigeſimumprimum. 294
præceptum Vigeſimumſecundum. 295
præceptum vigeſimumtertium. 296

Præ-

Præcept um vigeſimum quartum. 297
Præceptum vigeſimumquintum. 298
Præceptum vigeſimumſextum. 299
Præceptum vigeſimumſeptimum. 299
Præceptum vigeſimumoctauum. 300
Præceptum vigeſimumnonum. 301
Præceptum Trigeſimum, 302
Præceptum Trigeſimumprimum. 303

DE CHRISTIANO, ET POLITICO Decurione.

Qua de cauſa fuerint inſtituta Concilia Ciuitatum. Quæſtio 1.

HVIVS vtiliſsimæ tractationis, initium ſumere cõſtitui à quęſtione propoſita, vt ex ea poſſint Decuriones, primoribus labris deguſtare, quantum oneris ſuſceperunt, omnibus, qui Deum vere timent, & peccãdi pericula noſcunt, formidandum: in qua explicanda, illud repetendum ẽſt, vnamquamq; Communitatem, habere præcipua bona res, & iura, à ſupremo Principis Dominio ſeparata, quorũ libera adminiſtratio, ad ipſam iure pertineat l. 1. §. quibus autem, & §. final. ff. quod cuiuſq; vniuerſit. l. bona Ciuitatis ff. de verbor. ſignificat. Alba in conſ. 186. col. 1. poſſeq; ſtatuta condere, quæ illorum adminiſtrationem reſpiciant. vt latiſsimè proſequuntur Doctor. in l. omnes populi ff. de iuſtit. & iur. in quibus notiſsimis propoſitionibus comprobandis, non inſiſto; cum vero, numeroſus populus

ad ſua negotia pertractanda conuenire non poſſet, ipſo uſu rerum fuit animaduerſum; eſſe neceſſarium, vt ex tota Vniuerſitate, nonnulli deligerentur, iudicio, cenſu, & probitate pręſtantiores, in quos, tota facultas adminiſtrandi, ac ſtatuendi transferretur, qui Conſiliarij, ſeu Decuriones appellantur, in locum antiquorum Decurionum ſuffecti. l. 2. §. deinde quia difficile plebs conuenire cœpit, populus certè multò difficilius in tanta turba hominum, necesſitas ipſa, curam Reipub. ad Senatum deduxit ff. de orig. iur. quā rationem conſiderat Nicol. Los. de iur. Vniuerſit. part. 1. cap. 3 nu. 10. Lancellot. Laudens. de Decur. col. 2. Licēt. Piſan. de Cur. Piſan. cap. 1. cum enim conueniunt multi, ſuam quiſq; partem habent, virtutis, atq; prudentiæ, ſuntq; quaſi vnus homo, multi pédes, multæ manus, multi oculi, Ariſtot. lib. 3. Politicor. cap. 7. Simanc. de Repub lib. 7. cap. 4. quamobrem, varijs, & honorificis titulis, à Iureconſultis, & Imperatoribus ipſis decorantur, qui eos vocant Patres patriæ, Tutores publicos, Senatores Ciuitatis, vt referunt præcitati ſcribentes. A quibus fontibus tot laudabilium nominum, quibus dixi Decuriones commendari, opportunè, & ſuo loco hauriam permultas rationes, ad illorum officiū explicandum.

De bona electione Decurionum,
Quæſtio 2.

QVanti interſit ad Ciuilem fœlicitatem aſſequendam, quam, ſpectare debent, qui cū laude,

laude, & ſpe æternæ gloriæ, Rempub. gubernare cupiunt, diligentiſſima obſeruatio in Decurionibus eligendis, perſpicuè colligitur ex illa Platonica ſententia, quæ paſſim circumfertur, beatas fore illas Ciuitates, in quibus, Philoſophi regerent, vel Rectores philoſopharentur: omnes enim Ciuitatis opes, funditus interituræ ſunt, ſi ingenium humile, atq; abiectum, & omni virtutis præſidio nudatum Reipub. gubernacula tractanda ſuſceperit. Oſor. lib. 2. de Nobilitat. Ciuili, & ab his, quæ exorditur Licent Piſan. lib 2. cap. 22 vbi Appoſtillator commemorat vaticinationem grauiſſimi, & ſanctiſſimi uiri, his verbis. Aduenient tempora, quibus, in Concilijs, & Congregationibus populorum, Rectores erunt pueri, & iuuenes male morigerati, ſed exiguo tempore, per miſericordiam Dei, hæc erunt duratura, quia, melioratione reformabuntur, id quod etiam ſperare licet à Diuina pietate, quam teſtificatur D. Thom. de Regimin. Princip lib. 1. cap. 10 vbi, inter cæteras cauſas, cur imperium Tyrrannicum nõ ſoleat eſſe diuturnum, adducit Diuinam bonitatem, quæ non poteſt in ira ſua, continere miſericordias ſuas, nec diutius pâtitur imperium malorum, quibus vti ſolet ad populos affligendos. Omnia equidem mala, quæ accidunt communitati, originem ducunt à mala electione Decurionum, Io Paulus Montanar ad Pragmat. de adminiſtrat. vniuerſit. n. 324 In hæc profecto tempora, incidiſſe nos, valde dolendũ eſt, atq; deplorandum, propterea quod, inter multa pœnarum genera, quibus ſolet iuſtiſſimus

A 2 Deus,

Deus, peccata Chriſtiani populi uindicare, illud potisſimum conſideratur à Prophetis ſanctis, vt in Ciuili ſocietate aliquando permittat malos Rectores, & peiores Conſiliarios, quorum inconſultis deliberationibus, Reſpub. quotidianis, & grauisſimis incommodis debilitata, tandem cõcidat neceſſe eſt, priuatorum opes in idem exitium trahat. Nec enim, inquit Oſor. de Nobilit. Ciuili, lib. 1. vbi vniuerſę Reipub. ſtatus corruit, poteſt ſanitas, in aliqua eius parte permanere quamobrem, qui quęrit bonum commune, quęrit etiam proprium Carthus. in ſumm. fidei, to. 2. lib. 3. artic. 98. ex quibus Ciuilibus malis, Diuina Maieſtas hoc præſtantisſimum bonum elicere conatur, vt populi peccantes reſipiſcant, & reuertantur in viam ſalutis, à qua, longo interuallo aberrauerant, quod ſi pręſtiterint, promittit placatus Deus apud Eſai. cap. 1. ſe reſtituturum bonos Cõſiliarios, ſicut erant ab initio quem locum, more ſuo explicat ibi eleganter ingenioſus Orig. & hanc ſententiam ſcriptis quoq; ſuis vſurpauit Philip. Commin. ca. 96. & ca. 111. Conſiliarius inquit, malus, eſt magnum Dei iudicium in Rempub. corruptam; qua propter, in id ſtudioſe incumbant Decuriones, vt in locum demortuorum, ſemper eiuſmodi ciues ſufficiantur, qui vndequaq; ſint idonei, ad publica negotia intelligenda, & pertractanda: quod ſi, hanc piam, & vtilem admonitionem nihili fecerint, mortali culpa Diuinæ animaduerſioni ſe ſubijciunt, & obligationi damnorum reficiendorum erga communitatem, cuius publica commoda,

que-

quemadmodum debuerunt, minimè curarunt, Marc. Anton. Cucc. Inſtit. Canon. titulo de electio n. 133 ſair. in Claui Regia, lib. 10 Tractat. 2. cap. 9. n. 5. ad quod comprobandum ſubijcio egregiam traditionem Fernand. Rebell. de Obligat. iuſtit. part. 1. lib. 3. queſt. 4. n. 14. vbi in ſpecie diſputans de eiuſmodi electionibus ad publica munera, ſcribit in hæc verba: Si indignus ad munera Reipub. Laicę eligeretur, non tantũ mortaliter peccarent eligentes, ſed etiam ad reſtituendum totum intereſſe, ipſi Reipub. tenerentur, non minus quam Magiſtratus, qui homini inepto, tutelam pupilli committit. vt toto tit. de Magiſtrat. conuen. quia, pręficiendo indignos, prębent cauſam futuri damni. Subiungit tamen ad excuſandos collatores iſtorum munerum, neſcio quid boni, quod ſuo loco referam, & comprobabo, ad cuius auctoritatem adiungo, Guter. lib. 2. Canon. quæſtio. cap. 11. n. 42. & 44. cum ſeq. qui in omnibus prędictę concluſioni conſentit.

Quid prius facere debent Decuriones legitime congregati, quam tractent publica negotia.
Quæſtio 3.

DVm ſępe lego Prophetam Regium, his verbis, de mala adminiſtratione Ciuitatum conquerentem, Pſalm. 42 Dominus diſſipat cõcilia gentium, & reprobat cogitationes populorum, mecum ipſe conſidero, quid nam cauſæ eſſe poſſit, quod pleriq; Decuriones, in priuatis con

greſsibus, de Regenda Communitate tam bene diſputent, in publicis verò, peiora conſilia capiant, qua de re, duę mihi uerisſimæ rationes occurrunt. Vna, quod qui de publico bono tuendo, & augendo, in priuato ſermone colloquuntur, nullam ſentiāt inordinatam affectionem animi, quę illis rectum conſilij uſum impedire poſsit: q uerò, ad publicas conſultationes conueniunnt non conſultaturi tantū, ſed facturi, ſuo quiq; ſenſu, in eam facile ſententiam adducuntur, quæ ſibi, & his quos diligunt, magis vtilis, minuſuè damnoſa eſſe uideatur. Cęterum, qui ad publica negoria putant, & profitentur, ſe afferre animū uitiiſis affectibus expurgatum, diuerſa prorſus, & occulta ratione ſolent, grauisſimis erroribus implicari: intellectu ſuperbiunt, & ſibimet ipſis nimis adblandiuntur, perinde quaſi, ad hoc publicum munus, propria uirtute irrepſerint, non Diuina pietate eucti fuerint. quę ciuili peritia Reip adminiſtrandæ, eos præceteris, ſingulari beneficio cumulauit, & aliorum Decurionum animos moueritad illos cooptandos. Hoc genus hominum, propriæ prudentiæ innititur, non inuocat Ieſum Chriſtum, qui à Prophetis Sanctis Angelus magni Conſilij appellatus, hos qui ſe ipſum conſulunt, errare non patitur: quemadmodum ex diuerſo permittit ſæpe eos turpiter labi, qui, eum optimorum conſiliorum auctorem non agnoſcunt, id quod animaduertit Religioſisſimus Imperator in Conſtitut. Quod Prodigi posſint facere quæ ſibi ſunt vtilia. Neq; enim inquit ipſe, qui in omnibus ſuæ prudentiæ fidit,

hunc omnia bene facere ſinit Deus neq; idem, cũ Creator,Creaturæq; ſuæ moderator ſit,conſilij inopem, per omnia ex imprudentia decipi permittit. Hoc igitur conſilij capiãt Chriſtiani Decuriones, vt peccatis expurgati, prius Diuinam opem implorent,qua meliora cognoſcant; Deus enim dirigit conſilium hominis Thob. cap. 4. neq; ipſo Propheta Regio,ſe prudentiores arbitrentur,de quo in libris Regum ſacris ſæpe legitur,Dauid conſuluit Dominum, & alibi, Deceptus eſt,quia nõ conſuluit Dominum,& quemad modum ipſe, qui maximus omniũ Princeps erat, rogabat Dominum, vt ſpiritu Principali ſe confirmaret,quo omnia Principis muñera laudabiliter expleret, ita deberet Decurio ſummis precibus à Deo petere, vt Spiritum Decurionalem ſibi largiatur, hoc ipſimet Gentiles falſa quidem Religione imbuti obſeruabant, nihil prius de publicis rebus attingentes, quam ſacra peregiſſent,ut inter alios refert Franc.Patrit.de Repub. lib. 4. cap de Senatoribus, & ita in ſpecie Decurionibus præcipit Licentiat. Piſan in d. tract.de Curia Piſan. lib. 1.cap.4. Quamobrem, maximè probarem, & cuperem, vt vnaquaq; Communitas haberet certum Sacerdotem qui,certas orationes ſacras in eum vſum conſcriptas,Decurionibus congregatis recitaret, qui eas deinde animis in Deum eleuatis, prece proſequerentur,nihil enim Ciuitati magis miſerum accidere poteſt & calamitoſum, quam quod Deus eam in manu conſilij ſui derelinquat, re ipſa intellecturam, quam vere dictum fuerit, Deus diſſipat conſilia

gentium, & reprobat cogitationes populorum, & commemorat Io. Boter. de Regia Sapient. lib. 1. cap. 10. qua queſtione abſoluta, mihi fuit cōmodatus liber Bartolomęi Philippi, de Conſilio, & Conſiliarijs, quem in fine cap. 11. legi, hanc ipſam piam, & Sanctam admonitionem præcipere.

De ætate eligendorum ad Decurionatum obſeruanda. Quæſtio 4.

LIcet ortus noſtri partem, patria ſibi vendicet vt ex celeberrima ſentētia Ciceronis lib. 1. ſuorum officiorum quam plurimi ſcriptores ſolent inculcare, nihilominus, totam à nobis ętatē minimè exigit, ſed eius tantummodo meliorem partem ſuo iure poſtulare videtur, quandoquidē, qui ſunt intra vigeſimumquintum annum conſtituti, tanquam exigua prudentia, & imbecillo conſilio, ab ea repudiantur, & arcentur à munere Decurionatus l. non tantum ff. de Decur. l. ſpurij § 1. ff. eod. l. ad rempub. ff. de muner. & honor. Loſęus de iure vniuer. part. 1. cap. 3. n. 30. Lancellot. n. 16. Claud. Cantiunc. de officio iudicis §. 3. n. 16. Abb. in cap. cum viceſimum, n. 4. de officio delegat. vbi rationem adducit, quod ſi ante vigeſimumquintum annum, lex non confidit illorum prudentiæ in ſuis rebus priuatis adminiſtrandis, minimè congruit vt ad Rempub. gubernandam accedant, & qui neſcit ſe regere, non debet præferri regimini aliorū Alber. in d. l. ad rempub. ſi tamen aliqua de cauſa diſpen-

ſpenſarentur,non habent in dubio facultatem ſuffragandi, nec dandi vocem Alber. in d. l. ſpu rij § minores Laderch. in cons. 176. per totum Io. de Plat. in l. 1 C. de muner. & honor nō con tinuan. Licent. Piſan. lib. 1. cap. 12.n.5. Auend. de exequend. mandat. Reg. lib. 1. cap. 19.n.16. nec poſſunt eſſe electores aliorum conſiliariorū Alber. ſuper ſtat. part. 1. queſt. 183. idq; generale eſt, minorem non habere vocem in publicis Conſilijs,Bal. in l. de pupillo ff. de noui oper. nunt Bar. in l. exigendi col. 2 C. de procurat. & in l.Lucius §.Imperatores ff. ad municip.quod ſi Decuriones vellent diſpenſare minorē ad ſuffragiū ferēdū, nō ſufficeret maior pars illorū Io. And.in c.ſcriptū n. 8. de electio Alex ad Bar.in d.l.ſpurij §.minores:quæ tñ dixi de minore,vt nō posſit promoueri ad Decurionatū,non obtinent quando Ciuitas hominum idoneorum penuria laboraret,quia penuria hominum facit licitum quod alias eſt illicitum,a ppoſtillator ad Licent. Piſan. lib. 2. cap. 11. n. 7. ſed impuberes, etiam alijs deficientibus non admittuntur l. hi qui in fin. ff. de iur. immunit. Cagnol. in l. fœminæ §. impuberes ff de reg.iur. Alberic. ſuper ſtat. part. 1. queſt. 134. qui vero quinquageſimumquintum annum ætatis exceſſerunt, appellati, à lege, Grandiores natu, non coguntur hoc munus ſuſcipere, iuribus precitatis.

An vigeſimus quintus annus, in minore nominato ad Decurionatum, ſufficiat ſi ſit inchoatus. Quæſtio 5.

HAEC queſtio compendioſo reſponſo definitur apud I. C. in l. ad Rēpub ff. de muner. & honor. qui diſtinguit, honorem à publica adminiſtratione Ciuitatis, vt ſi agatur tātum de honore conferendo, ſufficiat annus inchoatus, non poſſit tamen ei mandari cura Reipub. niſi illo completo, & ita illum tex. declarat. ibi Alberic. col. 1. vbi enim agitur de publico damno vitando, annus debet eſſe perfectus l. qui filium, §. Sabinus ff. ad Treb. & ibi Imol. ſequitur Bero. cons. 79. n. 10. lib. 2. ſimilis diſtinctio fieri ſolet in varijs figuris cauſarum, quas congeſſit Dec. in l. fœminæ §. impuberes ff de reg. iur & precipuè in ea, dum dicit impuberem non admitti ad officium publicum, cui ſit annexa adminiſtratio, licet ſit capax ſimplicis honoris, & dignitatis, & ſcribunt Doctor. in l. final. C. de teſtam. milit. late Laderch. in cons. 76. per totum: qui ſanè fauor publicus in ſpecie propoſita, propter illā rationem conſiderari ſolet, quod vigor rationis naturalis, & conſilij, quo publicæ res geruntur, preſumitur perfectior completa minore etate Surd. decis. 178. n. 8. Odd. de reſtitut in integ. queſt 2. n. 52. Bellam. decis 716. Soc. in l. non putabam ff. de condit. & demonſtr. ad que omnia, adiungi debet Caualc. decis 40. n. 17. lib. 1. Ex quibus colligi poteſt iſta concluſio, quod cū

apud

apud nos, inter electionem, quæ fit à Conſilio generali, & confirmationẽ Principis, multi ſemper mẽſes intercedant, ſatis eſſet, qđ tempore adipiſcendæ poſſeſſionis, cõpleti eſſent vigintiquinq; anni, quo tẽpore capitur adminiſtratio Reipub.

De nobilitate conſideranda, in promouendis ad ordinem Decurionum. *Quæſtio 6.*

CVm Decuriones non debeant eſſe plebei, ſed nobiles l. honores ff. de Decu. Azo in ſumm. C. eod. præſertim in magna Ciuitate, & illuſtri. Licent. Piſan. cap. 12. lib. 1. Lancellot. n. 7. & cœteri omnes, ſummo ſtudio enitendum eſt vt nobiliores eligantur, inſpecta ſemper ęſtimatione loci, in quo fieri debet electio Auendan. de exequen. mandat. Reg. lib. 1. cap. 19. ver. nobilitas igitur, quia virtute quadam ſeminis, maxima ad virtutem propenſio in ſobolem ipſam infunditur. Oſor. de nobilitat. ciuili, lib. 1. Fortes creantur fortibus, & bonis eſt iuuencis, eſt in equis, patrum virtus, ut dicebat ille; quamobrẽ, antiqua Rhodienſium lege cauebatur, vt filij, qui à virtute parentum degenerabant, ab eorum quoq; hæreditate excluderentur, quam refert Grimal. de optimo Senatore, lib 1. cart. 19. omnes boni, inquit Cicer. in Oratio pro Seſtio, nobilitati fauemus, & quia vtile eſt Reipub. nobiles eſſe homines, dignos maioribus ſuis, & quia valere debet apud nos, clarorũ hominũ de Repub. meritorũ, memoria: ex quo loco, id inſuper rẽ ad noſtrã colligi põt, eos nobiles, præ cœteris eligendos, qui ab his originem ducunt, qui

in

in adminiſtrãda ciuitate multis meritis clarue-runt,in quã ſentẽtiã,multa ſcripſit Cepoll. in tra-ctat.de Imperator.milit.deligen §.Nobilitatis,n. 13.quia Decurionatus habet dignitaté annexã vt multis iuribus comprobat Los. de iur vniuerſ. part. 1. cap. 3. n. 15. cuius dictis,rationem ſoli-disſimam iungo, quod multę ſæpe contentiones in Ciuitatibus excitantur, numquid aliquod of-ficium exiſtimari debeat nobile, aut ſordidum, & vile, veluti quando agitur de aliquo cooptan-do in Collegium iuriſconſultorum, & Phyſicorũ, à quibus arcentur illi, qui,vel quorum maiores, exercuerint artes viles;in quibus controuerſijs,vt plurimum, exquiri ſolet communis ęſtimatio po puli atq; iudicium Bar. in l. 1 n. 15.C.de mulier. & in quo loco Io. de Plat. in l.maximarum, C. de excuſat. muner. lib. 10. Alciat. in l. mercis n. 10. de verbor. ſignificat. Cæphal. conſ. 237. nu. 18. lib. 2. Alba cons. 43. lib. 1. Scoh.cons. 10. n.63. lib. 5..tomo. 2. Caualcan. decis 41. n. 23. Socin. conſ. 246.,n. 3. lib. 2. Riminal. conſ. 3.n.1.lib. 1. Siluan. conſ. 1. n. 42. Calcan. cons. 8. n. 13. Me-noch. conſ. 552. n. 6. & conſ. 584. n. 12. lib. 6. Hortens. Caualcan. in tractat. de Rigor.& æqui-tat. n. 190. Cum verò, id dicatur ſciri, & credi à populo, quod ſcitur, & creditur à maiore parte illorum, qui illum repræſentant l. municipes, 2. ff. ad municipal. Bar. in l. de minore § plurimũ, n. 14. ff. de quæſtio Innoc. in cap. veniens ver. monaſterium, de verbor. ſignificat. & in ſimili ſpecie, conſuetudo induci poteſt à maiore parte Regentium Ciuitatem,Curt. in trac. de conſue-

tud.

tud. in 7. Requiſito quæſt. 5. conſequitur, vt ad ordinem Decurionum pertineat facultas ita declarandi, & iudicandi, quo caſu, ſi ignobiles, ad has declarationes admitterentur, quis nõ videt, eos minime improbaturos, quod in ſeipſis, vel in ſuis agnoſcerent: nec prætermittendnm eſt, aliud grauisſimum incommodum, quod ad ciuitatem redundare poſſet, ſi viles, & abiecti homines deligerentur, cœteri namq; Decuriones, quibus nulla indignitatis labes adſpergi poteſt, merito indignati, & ſtomacabundi, nec munus curarent ſuum, nec eiuſmodi collegas in tractandis negotijs ſibi dari æquo animo ferrẽt. Palear. ad Cornel. Tacit. Obſeruat. 60. memorabile profectò reſponſum Corinthiorũ ſcribit Seneca, de beneficijs lib. 1. quod magno Alexandro dederunt, primo motu animi deridenti priuilegium Ciuilitatis, quod vltro ſibi offerebant, non enim adhuc intelligebat, nimis elati animi Rex, oblati honoris eximiam dignitatem, atq; præſtantiã, quod legati Corinthiorum animaduertentes, reſponderunt, ſe hoc honore, minimè ſolere niſi ſummos Heroes honeſtare, qua re intellecta, humaniter ſuſcepit Alexander, quod ſibi fore tantummodo commune cum ſummis viris commemorauerant, in illis vero Ciuitatibus, vbi diuturna conſuetudine, recipiuntur etiam Mercatores in ordinem Decurionum, digniores ſemper ex eis, eſſent præferendi, quorum qualitates, examinandæ forent regulis traditis à Caſſan. in Catalogo Glor. mund. & iudicio populi, non autem permittat Chriſtianus Decurio ſe muneribus

capi,

ca pi, aut officioſis commēdationibus flecti, vidi enim ſæpisſimè hoc genus hominum ambitioſorum, nihil intentatum relinquere, vt ſtudia nobilium Decurionum ſibi concilient, quamobrē indecentisſimæ electiones aliquando emanarūt, non eſt tamen illud ommittendum, in bene conſtituta Ciuitate minime decere, vt Mercatores ad eam gubernandam admittantur. Lancellot. n. 13. ex Philos. lib. 7 Politicor. cap. 6. cuius au ctoritatem ſecutus Io Baptiſta Lent. Obſeruat. Politic. cap, 198. ita ſcriptum reliquit. Nemini dubium eſſe debet, quin mercatores, & omne illud lucricupidum hominum genus, à Reipub. cura, & conſilijs ſit remouendum, cum enim ex ſeipſa huiuſmodi vitæ ratio ſit parum generoſa, & ea ſit inſuper natura negotiationis, vt publico bono neglecto, vnuſquiſq; rem ſuam vrgeant, & amplexentur, nihil perfici, aut ad finem perduci ſolet, atq; vbi poſt lungam cunctationem vix tandem in Conſilium conuenerunt, exiguo tamen temporis momento de Repub. conſultant, ſed illico ad rerum priuatarum curā recurrunt, nec verò, ex hac ſua negligentia detrimenti aliquid Rempub. capere putant, dum ſemper alios ſperant fore, qui pro ſe, ſint communi bono proſpecturi, laudat igitur, exemplum Thebanorū, qui lege cauerant, neminem, qui decem ad minimū annos à commertijs nō abſtinuiſſent, ad Rēpub. gubernandam admouendum.

An nobiles ruri degentes, comparandi ſint cum nobilibus, qui Ciuitates incolunt.

Quæſtio 7.

CVm probauerim in præcedente quæſtione, conſiderãdam eſſe nobilitatem in Ciuibus, qui ad Decurionatum nominantur, non inutilis, aut iniucunda erit ſuſceptæ diſputationis pertractatio; in qua, illud certi iuris eſt, nobiles Ciuitatum præterendos eſſe nobilibus, qui Villas inhabitant Angel. in Auth. de defenſor. Ciuitat. in princip. cuius auctoritatẽ amplectitur Boer. decis 272. & Auendan. de exequend. mandat. Reg. lib. 1 cap. 19. ver. Item adhuc inter ipſos nobiles datur prælatio: quandoquidẽ inter eos, qui ſunt æquales dignitate, præfertur ille, qui eſt in ſuo territorio, glo. final in l. apud eum ff. de manum cum multis alijs cumulat per Marc. Anton. Surgent. in tractat. de Neapol illuſtrat. lib. 1. cap. 12 n. 53 & ſeq. & qui eſt Canonicus Eccleſiæ Cathedral. vnius Ciuitatis inſignis, præfertur Canonico vnius Oppidi. Caſſan. de Glor. mund. part. 4. conſiderat 47. & Ciuis ſupremæ Ciuitatis, præcedit ciuem primarium, minoris Ciuitatis Caſſan. ubi ſup par 11. Conſiderat. 14. quamobrem, cũ agatur de implendo numero Decurionũ, qui in Ciuitate commoratur anteponi debent nobiles Ciuiles, nobilibus ruſticis; cuius rei, aliqñ in vſu forenſi hanc rationẽ ponderabã, qđ cũ prudẽtia perficiatur ex rerũ experiẽtia, vtiq; maior experiẽtia ex pluribus, & grauioribus negotijs cõflari põt, quæ in ciuitatibus pertractanĩ, quã ex illis leuioribus, quæ cũ ruſticis peragũtur.

An

De facultatibus Decurionum eligendorum conſiderandis. Quæſtio 8.

FAcultates Ciuium, qui ad publica offiicia nominantur, duobus præcipue temporibus cōſiderari debent ab his, ad quos, ſpectat ius eligendi. Primo quando ad Decurionatum proponuntur, Altero vbi ex Decurionibus aſſumi debent, ad aliquod publicum munus obeundum. Cenſus enim, & honeſtæ diuitiæ, in eo exquiruntur, qui in talem Ordinem cooptandus eſt l. ad ſubeunda vbi Bar. & Io. de Plat. C. de Decur. Auth. de Defenſor. Ciuitat. §. interim Auendan. de exequen. mandat. Reg. lib. 1. cap. 19. n. 17. Lancellot. nu. 6. Luc. de Penn. in d. l. ad ſubeunda col. 1. vbi adducit illum locum Eſai. cap. 3. ita deprecantis, Noliteme conſtituere Rectorem populi, quia pauper ſum: Grimal. de Optimo Senator. lib. 2. cart. 80. & cæteris paribus, ditiores anteponuntur, cuius propoſitionis multiplex ratio ponderari poteſt, & in primis illa generalis deſumpta ab Ariſtot. lib. 2. Politicor. impoſſibile eſſe, pauperem bene principari, & vacare negotijs communibus, ſed alia magis vrget, quod Diuitiæ conciliant Decurionibus maiorē auctoritatem. & fidem l. 3. ff. de teſtibus Glos. in ver. diuitiarū, §. ſancimus, Auth. de teſtib. Cæpoll. de Imper. milit. delig. §. Diuitijs col. 1. & in pauperes conſiliarios poſſu nt vſurpari illa verba Dauidica Pſalm. 13. conſilium inopis confudiſtis. Quibus adiungitur, quod in Decurionatu

ineſt

in eſt dignitas, cui poſſunt diuites honorem debitum melius impendere Io. de Plat. in l. ne quis C. de dignit. Cepoll. vbi ſup. enumerans triginta priuilegia diuitiarum, & maxime illud, Decimumnonum in ordine, vt in conferendis honoribus, & dignitatibus, multum proſint poſsidentibus eas. Accedit, quod cum officium Decurionis verſetur in adminiſtranda communitate, & in ea maiorem partem habeant, diuites, quam pauperes, vtiq; credendum eſt, eos tanto fideliores ac diligentiores futuros fore, in publicis rebus gerendis, in quibus, priuatæ illorum amplio res continentur. Vbi verò nominentur Decuriones ad eiuſmodi munera, quæ cum ſumptu ac dignitate explicanda ſunt, iniuſte facerent illi Conſiliarij, qui priuato reſpectu diuitibus excluſis, pauperiores anteponerent, vt aliquando factum audiui in decernendis Legationibus ad Principes viros, in quibus muneribus euitandis, & pręcauendis, mirum eſt dictu quãta anxietate aliquando contendatur, ab his, qui propria cõmoda, publicæ dignitati anteponũt quapropter, pauperiores nominati ad hæc munera, poſſunt appellare l. vn ic. C. de potior. ad munera nomin. Io. Paul. Montanar. Pragmat. 2. de adminiſtrat. Vniuer. n. 331. quod vero dixi, de facultatibus Decurionum conſiderandis, fuit etiam iure conſtitutum, quia inter eſt Communitatis habere ſuos adminiſtratores diuites, qui poſſint Patriæ muneribus, cum dignitate de fungi, ideo, iure communi non poſſunt bona immobilia Decurionum alienari ſine Decreto l. final. C. de prædijs

Decur. Loſæus de iure Vniuerſ. part. 1. Cap. 3. nu. 34. pertinebat enim ad officium iudicis curare, ne Decuriones facultatibus ſuis male vterentur.

Quod non debeat in Ordinem Decurionum admitti, qui ſuam domum gubernare neſcit.
Quæſtio 9.

SAepe, & multos audiui, de gubernanda Ciuitate aſsiduè diſputare, qui, cum in Oeconomica ſuæ domus adminiſtratione eſſent diſſoluti, atq; indiligentes, minus quoq; idonei ad gerendam Rempub. euadebant, quos propterea omnium ſæculorũ ſcriptores hortantur, vt Chriſtiani Decuriones ſuffragijs ſuis arceant ab hac munere, atq; repellant, & inter cœteros Reuerẽdisſimus P. Ioannes à Ieſu Maria meritisſimus Generalis Diſcalceatorum Carmelit. in ſua Inſtructione ad Principes, tit. de Economica. cap. 2. cart. 25. in impresſione Romana, & D. Baſil. quem citat Hippol. à collib. in ſuo conſiliar. ille „ qui eſt negligens, in familia ſua gubernanda in „ Epiſcopum promoueri nõ poteſt, inquit Gomes. „ ad Reg. Cancellar. in Epilogo caſuum negligẽt: „ num. 132. per cap. ſicut hi, 47. diſtinctio: Stob. „ in ſermo. 43. de Repub. ver. illum enim qui in „ ſua familia non bene vixit, in cõmunibus quoq; „ Reipub. negotijs ſimiliter verſaturum exiſtimabat. Noli paruipendere homines Oeconomicos cura namq; rerum priuatarum, multitudine ſolum differt à gubernatione Reipub. inquit Xenofon.

nofon. lib. 3. de dictis,& factis Socratis,& Philo. de Ioſeph. oportet futurum adminiſtratorem Reipub. præexerceri in rebus œconomicis, nam & domus eſt quædam parua Ciuitas, & Oeconomica,compendiaria Reſpub.ſicut etiam Ciuitas eſt magna domus, & Politia communis,quædam œconomica, vnde facile dicimus eundem eſſe aptum diſpenſationi domeſticę, & adminiſtrationi publicæ quamuis hæc multitudine, magnitudineque differant; in quam ſententiam,multa cumulauit Simanc. de Repub. lib. 5. capitu. 14. Cuius prçceptionis ea eſt ratio, quod prudentia œconomica, & Ciuilis, vna & eadem eſt, licet in diuerſis rebus occupata. Caſtellan. in tractat. de officio Regis: lib. 4. cap. 21. Iouian. Pontan. de Prudent. lib. 4. cap. 1. quod etiam præceptum receſuit Io. Baptiſta Lent. obſeruat. Politic. 240. Conſiliarijs, inquit, debet vti Princeps, qui rebus proprijs bene conſuluerunt, non autem, qui per imprudentiam, aut ignauiam, male, cuiuſmodi ſunt homines luxurioſi, & molles, quos quidem decoctores, & conturbatores rerũ ſuarum, haud abſurde quis appellauerit, qui ſi rebus proprijs male proſpexerint, quomodo bene conſulent alienis? prudens enim ille dicitur, qui ſibi, & alijs poſſit bene prouidere, Aegid. Roman. de Regim. Princip. lib. 1. part. 2. cap. 7.

An Decuriones debeant eſſe literati, vt cooptari poſſint. Quæſtio 10.

QVod expertes literarum, modo ſint rerum vſu præſtantes, posſint eſſe Conſiliarij: cauit formaliter Imper. in l. Expertes C. de decur. tanta eſt enim varietas rerum humanarum, & negotiorum, quæ in Ciuitatibus adminiſtrandis, in conſultationem adducuntur, vt illorum iudicium, maximo vſui eſſe posſit. Sicut in vno corpore non omnia membra eundem actum habent; inquit Apoſtol. 1. Corint. cap. 12. nec omnes ſunt Apoſtoli, nec Prophetę, nec Doctores, ita in Ciuilibus corporibus, quæ Ciuitates appellãtur, & conſtant tot membris, quot ſunt Decuriones, illarum adminiſtrationi præfecti, omnia ingenia illorum ad publicam vtilitatem conferuntur quod ſi in publicis conſultationibus, minus apſi ſunt ad ſententiam, cum dignitate grauiter explicandam, poterunt alios conſiliarios admonere de his, quæ vtilia putauerint, ad bonum cõſilium capiendum Paleot. part. 4. queſt. 6. in fin. ver. quod ſi non audet ſententiam dicere, alijs Conſiliarijs ſaltem opem pręſtet. Expedit tamen ad Communitatem bene gubernandam, vt inter Decutiones quamplurimi ſint literatisſimi, qui in rebus dubijs, lucem alijs præferant Lancellot. n. 6. Vbi enim literæ accedant ad naturalem ingenij pręſtantiam, & experientiam rerum, mirũ eſt dictu, quam optimum Decurionem efficiant, à quo, quotidiè posſint ſaluberrima conſilia, in deli-

deliberatione rerum emanare Vincent. Caſtellan. de Officio Regis cap. 12. cum ſeq. quandoquidem, præcepta adminiſtrandarum communitatum à duobus fontibus vt plurimum deriuantur, à Iure Ciuili, & Hiſtoriarum cognitione ut atteſtantur Io. Baptiſta Lup. in Epiſtola dedicatoria Tractat. de vſur. ad Sereniſſimum Magnum Ducem, quos equidem fontes, nulla alia claui, niſi literaria, compertum eſt poſſe recludi.

De notitia rerum Communitatis Decurioni neceſſaria. Quæſtio 11.

PRæter nobilitatem, ætatem, & opes, & alia, quæ in Decurione requiruntur, & à me in ſuperioribus quæſtionibus explicata fuerunt, nonnulla inſuper deſiderantur, quæ nunc ſuſcipio pertractanda, prætermittens quaſdam diſputationes ſcholaſticas, à meo inſtituto penitus alienas, atq; in primis neceſſarium puto, vt Decurio ſit bene edoctus de rebus Ciuitatis, hoc eſt de publicis redditibus, de legibus, quibus adminiſtrari ſolet, de auctoritate Cōſilij, & Magiſtratuū, qui ab eo eliguntur, & cæteris id genus impoſſibile eſt enim ſuo munere recte fungi qui non intelligat ea quę conſultanda proponūtur: Gregor. de Repub. lib. 24. cap. 6 n. 9. Grimal. de optimo Senator. lib. 2 car. 45. Ribaden. in tract. relig. lib. 2. capit. 25. Lottin. Obſeruat. Ciuil. 43. Bartolom. Philip. de Conſil. vbi ex Tucid. hoc præceptum deducit, ad conſilium de Repu. dandum, caput eſt noſcere Rempub. Tull. lib. 2. de Orator. Plat. in Alcib. quemadmodum enim

tutor priuati pupilli, non poteſt res pupillares bene adminiſtrare, qui in illis non ſit optime ver ſatus, ita non poterit Decurio ſine reprehenſione, & peccato, huiuſmodi cognitionem negligere, cum vnuſquiſque ſcire teneatur quæ,ad ſuum munus pertinent D. Thom. 1. 2. queſt. 76. Illuſtrisſimus Paleot de Conſultat. Sacr. Conciſtor. part. 4. quæſt. 6. Videte vocationem veſtram, inquit Apoſtol. 1. Corint. cap. 1. multis enim erroribus neceſſario implicabitur,cogetur aliquando,ab eorũ opinionibus pendere, qui rerum publicarum peritiores habebuntur, neq; vnquam poterit, cum dignitate ſententiam dicere, niſi de quibuſdam vniuerſalibus rebus,quarum præcepta ex ſcriptorum monumentis hauriuntur veluti, an Magiſtratus debeant eſſe perpetui, an ſint multiplicandæ leges, & alia eiuſmodi. Sed non ſufficiunt propoſitiones generales, niſi ad caſus particulares bene applicentur Bartolom de Cõſil. cap. 6. n. 18. qua de re grauisſime diſputauit D.. Gregor. Nazian. citatus à Ribad. vbi ſup. & Cardinal.Paleot part. 1. queſt 1. quamobrem, optime cum illis Communitatibus actum iri exiſtimarem,ſi publico Decreto, omnes Ordines, Redditus, auctoritates Magiſtratuum in compendium redigerentur, vt omnes Decuriones facile poſſent, de his edoceri, quæ ad officij ſui rectam adminiſtrationem, Iudicio ſapientum, & ipſo rerum vſu, neceſſaria exiſtimantur, neq; ſententia mea, vlli ciues in Ordinem Decurionum adſcribendi forent,niſi in alijs publicis,& leuioribus muneribus, gerendæ Reipub. rudimenta

poſuiſ-

poſuiſſent valde etenim animo commoueri ſoleo cum in maximo Decurionum numero aliquarũ communitatum vix quatuor reperiuntur qui primoribus labris publica negotia deguſtarũt quo fit, vt reliqui cogantur ab eorum conſultationibus dependere: qua in re, valde totus decipitur populus qui, cum credat multorum conſiliariorum prudentia gubernari, admodum paucorum ambitione regitur, atq; auaritia.

De cognitione Hiſtoriæ, Decurionibus vtiliſſima. Quæſtio 12.

QVamquam dixerim, ciues, literarum expertes, in albo Decurionum adſcribi poſſe, mihi tamen ſummopere probatur, ut eiuſmodi libris perlegendis vulgari idiomate conſcriptis ſe totas dedant, ac diligentem operam nauent ex quibus, rerum geſtarum cognitionem, & Ciuiles obſeruationes addiſcant, vt enim omnia, hoc precipuè, noſtra ætas debet Diuinæ bonitati, nihil in omni doctrina deſiderari poſſe, quod præſtantiſſimorum virorum ingenijs, & lucubrationibus, non ſit memorię, & literis commendatũ nimis enim eſt longa via, ad Ciuilem prudentiã perueniendi, quæ poſita eſt in diuturno vſu rerũ, atq; experientia Lips. Politicor. lib. 1. cap. 9. Hippol. à Collib. in ſuo Conſil. quamobrem, in Domino hortor Chriſtianos conſiliarios, vt aliquorum librorum aſſidua lectione, animum ſuũ Ciuilibus pręceptis excolant, vt præteritarum rerum prompta recordatione, poſſint præſentes

diſpicere, & prouidere futuras nã in agibilibus, futura ſunt vt plurimum ſimilia præteritis. Egid. Rom. de Regim. Princip. lib. 1. part. 2. cap. 8. ſemper puer eſt, inquit Tull. de Oratore, qui nihil neſcit, de his, quæ acciderunt, antequam naſceretur. Hoc illud eſt, dicit Liuius, præcipuè in cognitione rerum ſalubre, atq; frugiferum omnis te exempli documenta, in illuſtri poſita monumento intueri, vnde tibi, tuæq; Reipub. quod imitere capias, fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites, vtilisq; eſt ad publicas deliberationes, rerum geſtarum cognitio Ariſtot. lib. 1. Rethoric. cap. 5. quo loco commemorare iuuat, qđ dictitare ſolitũ fuiſſe ſcribunt, Alphonſũ Neapolitanorum Regem qui, licet in eo ſummum ſtudiũ poneret, vt ſibi Cõſiliarios adhiberet lectiſsimos viros, maximis prẽmijs inuitatos, profitebatur tamen, ſe à Conſiliarijs mortuis melius informari, hoc eſt, à libris, qui, ſine errore, & animi perturbatione, optima conſilia rerum agendarum ſuppeditant. Caſtellan. de officio Regis, lib. 1. cap. 35. Tholoſan. de Repub lib 10. cap. 3. n. 7. quod ſi, hæc diſputatio ad veras propoſitiones Theologorum reuocetur non uidentur mihi, eiuſmodi Decuriones illiterati, de quibus ſcribis, ab omni culpa immunes eſſe, atq; ſeiuncti, ſi totis viribus non enitantur, vt quantum fieri poſſit, in adminiſtranda Repub. in dies peritiores euadant cum enim, vt alias dixi, vnuſquiſq; ſcire teneatur quę ad ſuum munus pertinent bene explendum, D. Thom. 1. 2. quæſt. 76. vtiq; ignorantia non excuſat illos, quam ſtudio, & labore

bore ſuperare poſſunt Gregor. Sair. in Claui Regia lib. 2. cap. 9. qui multos allegat Dionis. Cartus. in Summ. Fidei. part. 2. lib. 3. artic. 106. vbi dicit, imprudentiam eſſe peccatum, quãdo quis non eſt ea prudentia prędicus, quæ ſibi eſſet neceſſaria, ad ſuſceptum munus obeundum, ita verò legendæ hiſtorię vacare deberet, vt non ſolũ ipſas res geſtas, verum etiam, quid ipſas anteceſſerit, aut fuerit conſecutum apprime intelliget, & ad vſum rerum, promptum habeat Io. Baptiſta Lentius in Politic. obſeruat. cap. 2. in fine.

De magnificentia, in Chriſtiano Decurione neceſſaria. Quæſtio 13.

QVęſtio illa in qua dixi, neminem eſſe aptum ad Rempub. gubernandam, qui rem ſuam priuatam procurare neſciat atq; moderari, me excitauit, ad hoc præceptum pertractandum ſępe enim audiui nonnullos Decuriones, in re ſua familiari eroganda ſordidos, & abiectos, tales etiam ſe exhibere, in ſumptibus publicis faciendis: quò fit, vt aliquando eiuſmodi ſententiæ audiantur, quæ ſtomacum mouent alijs Conſiliarijs, non ſolum genere nobilibus, verum etiam animo præſtantibus; qui, & magnificè ſentiant, & loquuntur, ad publicam dignitatem tuendam & augendam, quamobrem, hæc ipſa magnificentia, de qua diſputo, quemadmodum, & reliquię virtutes morales, inter duo extrema locum ſuum obtinet, quidam enim nimis demiſſi animi, nihil

magnificum cogitant, neq; faciunt; alij verò,ſine prudentia profundunt opes,& in earum conſumptione in explebili cupiditate occupantur quapropter, eam mediocritatem opus eſt,vt teneat Chriſtianus Decurio, vt quotieſcunq; occaſio, & publica neceſsitas ſe obtulerit, non vereatur id conſilij dare, quo magnifici ſumptus, ad publicum decus fiant. ſiue de ædificijs extruendis,ſiue de muneribus dandis, ſiue de pompa funebri in alicuius honorem facienda, diſputetur; habita ſemper ratione temporis loci, occaſionis, & perſonarum: præcipuè Communitatis, ad cuius gubernacula ſedet cum alijs Conſiliarijs, magna enim decent. magnas Ciuitates Bar. in l. ambitioſa, n. 2. Ver. inſpecta magnitudine Ciuitatis donātis,ff. de decret. ab ordine faciend.idq; ſem per prę oculis habeat, vt magnis ſumptibus, opera ipſa reſpondeant, hoc eſt vt & ipſa opera magna ſint atq; appareant. Iouian. Pontan. de magnificent cap. 3. & 6.& ante eum, D. Thom 2. 2. quæſt. 134. Articul. 3. id tamen ſummopere probo, vt in publicis eleemoſinis erogandis Decuriones ſint liberaliſsimi, eo magis, cum videāt Ciuitatem, per multis incommodis afflictam improbatur enim à Sanctis, illa ratio excuſationis, qua nulli Decuriones charitate frigidi, vti ſolēt nempe, non poſſe ęre publico pauperibus ſubuenire, & Religioſis viris, qui in Clauſtris vitam degunt, eò quod Ciuitas multis calamitatibus opprimatur omnia enim publica mala,quo grauiora ſunt, & euidentiora, tanto acriores ſtimulos admouere debent, ad opera Chriſtianæ charita-

tis

tis exercenda vt ratiocinatur D. Ciprian. in libello, de Eleemoſina.

Quid ſpectari debeat ante omnia in Decurionibus eligendis. Quæſtio 14.

INter ea,quę ad chriſtianum Decurionem perficiendum ex præceptis Theologorum, Philoſophorum, & Legiſtarum, neceſſaria exiſtimantur, illud vnum, tanquam cœterorum omnium fundamentum deſumendum eſt, ex recta conſcientia, & probitate morum, quæ in eis debet elucere, qui ad Remp. accedere vellent. Io. de Plat. in l. 1. in 3. notab. C. de condit. in publicis horreis: Auendan. de exequen. mandat. Reg. cap. 19. conclus. 7. Licent. Piſan. lib. 1. cap. 12. Iauell. in Philoſoph. Chriſtiana, cap. de conſilio Ciuili, in primo requiſito: Bartolom. de Conſiliar. cap. 6. n. 10. vbi inquit, hominem vitioſum non eſſe bonum Conſiliarium quamobrem, iudicio meo, reiciendi forent quicunq; in aliquo mortali peccato inueterata conſuetudine conſeneſcunt, vt in ſpecie, de publicis concubinarijs ad Decurionatum non admittendis ſcripſit Auendan. vbi ſup. cap. 25. n. 19. & Licentiat. paulò ante adductus: quorum auctoritas, etiam ſi quod dixi non perſuaderet, in eam tamen ſententiam ſolida me, atq; Theologica ratio, pertraxiſſet, quod infœlix anima, peccato, præſertim diuturno pręgrauata, non poteſt exercere perfectæ rationis vſuum, qui ſicut in conſultatione publicarum rerum eſt per neceſſarius, ita per peccatum

valde

valde debilitari eum ſacri teſtantur ſcriptores, & experientia confirmat: Azor. Moral. Inſtitut. lib. 4. cap. 2. Conclus. 3. De reliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecũ, inquit Dauid. Pſalm. 37. quę in ſuſcepto argumento deduxit D. Baſil. Homil. 10. ad dictum Pſalm. 37. quia in animam peccatis obnoxiam non ingreditur ſapientia, & D. Hieron. cap. 3. Lamentat. Hierem. Prophet. aliam ſancti ſpiritus metaphoram elegantisſimam attulit, ad id quod ſuſcepi probãndum, Omnis homo, qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius, hoc eſt, qui peccauerit, ſtupidus erit in cõſilijs cupiendis, animo enim per libidinem corrupto nihil honeſtum in eſt, Tacit. lib. 11. Annal. quod etiam ex noſtris animaduertit Crau. conſ. 15. Iudicem, peccatis irretitum, non poſſe diſcernere merita cauſarum. Atq; vt intelligant Decuriones quantum temporalis detrimenti, ex improba vita vnius Ciuis, ad totam ſæpe Communitatem redundet, ſubſcribendam duxi memorabilem ſententiam Origen. Homil. 7. cap. 6. Ios. Polluitur, inquit ex vno peccatore populus,
„ ſicut ex vna oue morbida, grex vuiuerſus inficitur, nec putet ſe recte dicere, quid hoc ad me
„ ſpectat, ſi alius male agitur quomodo igitur impune poterunt Decuriones ſuffragijs ſuis, eligere inimicum Dei ad tutelam populi ſui? quibus adijcienda ſunt quæ ſcribit D. Ambros. lib. 2. Officiorum cap. 8. & 12. ab eo non poſſe bona conſilia procedere, qui malam vitam viuat quod probe intelligebãt Spartani: in quorum Senatu,

cum

cum quidam improbus,nomine Demoſtenes neſcio quid propoſuiſſet Reipub. vtilisſimũ, Præſes Conſilij iusſit, eandem ſententiam ab Optimo viro, & Senatore pronuntiari,quæ ſunt à toto Senatu approbata, vt teſtatur Gell. lib. 18. cap. 3. Ribaden. de Relig.lib. 2.cap. 25. Gregor. de Repub.lib. 24.cap. 6 num. 11. Io. Baptiſta Lent. obſeruat Politicar. cap. 77. Quomodo potes iudicare aliquem in conſilio ſuperiorem, quem vides probitate inferiorem? inquit Iauell. de Philoſoph. Ciuili tract. 3. cap. 4. & qui ſeipsũ male regit non eſt dignus, vt alijs præficiatur Hortẽs. Caualcan. de rigor. & æquitat. nu. 186. non id tamen contẽdo, vnumquemque, qui ſine mortali peccato inueterato vitam degat, idoneum eſſe ad Rempub. gubernandam, quia licet habeat prudentiam ſeipſum bene regendi, non eſt tamẽ ſemper aptus ad publica munera Carthus. in ſumm. fidei part. 2. lib. 3. art. 99. nam bonitas ſine prudentia, eſt veluti cibus ſine ſale. Palear. ad Tacit. Obſeruat. 471. in hac vna tamen qualitate chriſtianę perfectionis, omnia continentur, quæ de hac re dici poſſunt, quandoquidem Chriſtiana Religio non permittit aliquem profiteri id munus, in quo non eſt bene verſatus Bartolom. de Conſiliar. cap. 6. in fin.

An pater poſſit ſuffragari filio.
Quæſtio 15.

IN quæſtione propoſita conſtituitur iſta concluſio, patrem poſſe ſuffragari filio,qui ad ordinem

dinem Decurionum fuerit nominatus: glo. & Doctor. in l. illud, quam nonnulli legunt ſub l. nulli, ff. quod cuiuſque vniuerſit. quia in dubio, præſumitur ſuffragium dari, publicæ vtilitatis cauſa, vt poſt Docto. ibi declarat Petr. Auendan. de Exequend. mandat. Reg. lib. 2. cap. 19. Ver. & experientia compertum eſt: Nicol. Los. in tractat. de iure vniuerſitat. part. 1. cap. 3. n. 28. Franc. Marc. in decis. 629. lib. 1. n. 6. Montanar. de adminiſtr. vniuerſitat. Prag 4. in princip. in quo articulo placet mihi illa diſtinctio quam attulit Licent. Piſan. lib. 2. cap. 12. quod quando, non ageretur de cooptando filio in ordinem, ſed de eius intereſſe pecuniario, nõ poſſit pater dare vocem filio: quam diſtinctionem, auctoritate ſua comprobauit eius Appoſtillat. ver. per perſonas ſuſpectas. Hinc patet, iure communi non prohiberi, quin pater, & plures filij, vel plures agnati ſint in ordine Decurionum, vt in ſpecie not. Paul. in d. l. nulli quamquam, ordines noſtri non permittant vltra duos agnatos.

An ex duobus nominatis, ſufficiat eligere dignum, uel dignior ſit eligendus.
Quæſtio 16.

HAnc quæſtionem breuiter abſolui, in tract. de Aduocat. Chriſtiano par. 2. quæſtio. 22. docens eligendum eſſe digniorem, auctoritate Ludouic. Molin. de Primogenit. Hiſpanor. lib. 2. cap. 5. num. 50. Sot. de iuſtitia lib. 3. queſt. 6. artic. 2. ver. nona concluſio, quibus adiungo in

ſpecie

ſpecie electionis ad publica officia ſæcularia idẽ concludentem Rebell. de obligat. iuſtitiæ part. 1. lib. 3. quæſt. 4. num. 13. ratio eſt, quia Decuriones eligentes non ſunt abſoluti Domini, ſed iuſti diſpenſatores huiuſmodi munerum, & non ſolum, ex natura officij Decurionatus, uerum etiã ex ui iuramenti, debent in maius bonum communitatis ſemper ſua ſtudia dirigere Cucc. Inſti. Canon. tit. de electio. n. 123. vbi, culpam mortalem adſcribit non eligenti digniorem, in re ſcilicet magni momenti, quod etiam diſtinguit Rebell. vbi ſup Abb. in cap. conſtitutis n. 7. de appellatio. Dec. in cons. 72 ante num. 4. Ver. & dato: Azor. Moral. Inſtitut. Part. 2. lib. 6. cap. 15. vbi hanc opinionem tuetur, tanquam vtroq; iure, atq; auctoritate grauisſimorum Theologorũ melius comprobatam, & ratione naturali magis plauſibilem. Angel. in Vers. electio n. 21. late Guter. lib. 2. Cano. queſt. cap. 11. col. 1. quam valde cuperem, ſemper infixam eſſe in animo nõnullorum Decurionum, qui ſibi licere putantes, quod eis libet, non conſulunt uiros doctos, & graues; vt quoad fieri poteſt, Diuina gratia ſuffragante, hoc nimis graui munere, ſine peccati labe, perfungantur.

An eſt quando excuſentur Decuriones, ſi non numquam eligant indignos. Quæſtio 17.

DE alijs Ciuitatibus, in quibus minimè verſatus fui, non poſſum affirmare, quod in noſtra me deplorare cogit ardentisſimum ſtudiũ

publici

publici boni conſeruandi, atq; amplificandi quandoquidem, ex tã numeroſo populo, in quo, ſuperiore ætate omnes honeſtæ artes floruerunt, & inter eas, Ciuilis diſciplina ad Rempub. guber nandam ſummopere neceſſaria, perpauci ſunt, qui ab in eunte ætate animum ſuum his excolãt ſtudijs, quæ ad Decurionem informandum, & perficiendum deſiderari ſolent, adeo vt de illa dici poſſit, quód Spiritus Sanctus apud Eccleſiaſt. pronuntiauit cap. 9. Ciuitas parua, & pauci in ea viri, & in eã vſurpari poſſunt illa verba Amos Prophetæ cap. 5. Vrbs, de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem: in in qua optimorum Ciuium penuria minime peccarent, qui ad publica munera eos eligerent, qui non eſſent vndequaq; idonei Fernand. Rebell. de Obligat. Inſtit. part. 1. queſt. 4. n. 14. Ver. Excuſabuntur tamen Collatores per iuſtam ignorantiam circa Miniſtri indignitatem, aut ſi poſt moralem diligentiam non repererint idoneum vtiliusq; iudicauerint, indignum, quam nullum præficere: cui traditioni affinis eſt illa, Marc. Anton. Cucc. Inſtit Canon tit. de electione, n. 130. dum inquit, electionem poſſe fieri ex gremio alterius Eccleſiæ, quãdo nullus extat dignus in Eccleſia, quę vellet eligere, hoc ipſum in quæſtione ſuſcepta ſcriptum reliquit Lancellot: de Decur. n. 9. quod ſcilicet, regulariter ſpurij non admittantur ad Decurionatum. Vbi autem non extarent idonei, & legitimi competitores, admittuntur quia, Reipub. intereſt, ordinem Decurio-

num eſſe repletum l. generaliter, ff. de Decurio. Licent. Piſan. lib. 1. Cap. 12. n.3.ver. niſi in ſubſidium quando alij non reperiuntur.

An, & quando debeant Decuriones ea detegere, quæ obſtant nominatis ad publica munera.

Quæſtio 18.

IN ſuauis, & amara, ni fallor, erit præſentis quæſtionis elucidatio quam plurimis Decurionibus, qui quaſdam regulas conſcientię, arbitratu ſuo ſibi compoſuerunt, temere putantes, poſſe placere Deo, & hominibus: quam vt explicem, præmitto, ratione publici muneris, & iuramenti ſuſcepti, de quo ſuo loco dicam, teneri Decuriones, in communem Patriæ vtilitatem conferre, quidquid poſſunt, cogitando, loquendo, operando, vt in alio argumento Chriſtiani Aduocati, ſępe commemoraui ex D. Gregorio ſuper Euangelio, Domine dediſti mihi quinq; talenta: vbi not. omnia nobis nomine talenti à Deo eſſe communicata, quibus, Ciuium commoda poſſumus promouere; quemadmodum enim hęc vita mortalis ordinatur ad vitam beatam, tanquam ad vltimum finem, ita omnia bona particularia veluti diuitiæ, lucra, ſanitas, facundia, & eruditio, ordinatur ad bonum multitudinis, vt formaliter inquit D. Thom. de Regim. Princip. lib. 2. cap. 15. in princip. vbi ergo, Decurio ſciat perſonæ nominatæ aliqua obſtare, quæ eum vel penitus repellant, vel minus idoneum reddant muneri propoſito, debet detegere, ne reliqui Decu-

riones ignorantia decipiantur, in ſuffragijs ferendis Nauarr. in Manual. cap. 18. n. 31. vbi generaliter inquit, ad commodum Reipub. detegenda eſſe peccata aliorum, licet ſecreta, & occulta: cui, addo Thom. Triuis decis. 61.n.4. lib. 2. qui dicit eum non teneri actione iniuriarum, qui euulgat alicuius delicta, quæ Reipub. intereſt manifeſtari, ſequitur, Petrus Cabal. Reſſolut. Criminal. 154 n. 14. vbi alios allegat. Ex qua traditione multorum Theologorum auctoritate confirmata, ita ratiocinatur Paleot. part. 4. quęſt. 2. in fin. vt Cardinales teneantur in Sacro conciſtorio detegere defectus Prælatorum, qui ad Epiſcopatum nominãtur, & in puncto eligendorum Decurionum hoc docuit Auend. de exequend. mandat Reg. lib. 2. cap. 19. ver. Quarto: ſcilicet opus eſſe tractatu inter Decuriones, vt vnusquiſq; dicat quid ſentiat de qualitatibus nominatorum. Hinc liquido apparet, non ſemper eſſe tutos in foro conſcientiæ eos Decuriones, qui muneri ſuo ſatisfactum putant, ſi occulto ſuo ſuffragio, quod quibuſdam Pilulis de more dari ſolet, excludant nominatos: quandoquidem, vbi probabilis neceſsitas, & ſuſpicio imminet, reliquos Decuriones ignorare quæ obſtant, debent eos præmonere, ne aliquid detrimenti Ciuitas capiat. quando enim aliquid proponitur in Cõſilio, quod publico bono aduerſatur, qui expreſſe non contradicit, inuoluitur eadem culpa, & peccato, vt in ſpecie tradit Abb. in cap. 1. n. 13. de his quæ fiunt à maior. parte capit. Ias. in l. quæ dotis n. 89. ff. ſolut. matrimon. Franc. Marc. decis.

962. lib. 1. Los. de iure vniuerſitat. part. 1. cap. 3. n. 98. quia hoc munus publicum verſatur in cõſulendo Licent. Piſan. lib. 2. cap. 13. Hippolit. à Collib. in ſuo conſil. quibus congruit, quod Diuino Spiritu illuſtratus ſcripſit D. Ambroſ. Officior. lib. 1. nos eſſe rationem reddituros non ſolum verbi ocioſi, verum etiam ſilentij vitioſi; & Conſiliarius, qui non vult conſulere, fruſtra occupat locum conſiliarij Paleot. par. 3. quæſt. 1. & in re magni momenti, tenetur ad damna idem Paleot. par. 4. quæſt. 11. Hæc multum confirmari poſſunt ex his, quę poſt D. Thom. 2. 2. quæſt. 70. artic. 3. copioſe fuit perſecutus Arnal. Albert. de tegendo ſecreto, vbi quam plurimis Doctorum traditionibus oſtendit, nõ ſolum permiſſam eſſe, verum etiam neceſſariam propalationem ſecreti, vbicunq; agatur de aliquo graui malo præcauendo, præterquam ſecreti confesſionis ſacramentalis, quod cuſtodiendum eſt, quod ſi hoc iure vtimur, in rem cuiuſcunque priuati ciuis, multò magis id obſeruandum eſt, ad publicam vtilitatem, quæ ſicut eſt priuatę anteponenda, ita in eã omnia conſilia Decurionum intendenda ſunt, peculiari ratione muneris publicæ tutelæ. Verũtamen, cum non posſit huiuſmodi doctrina, certis, & generalibus concluſionibus definiri, multa Chriſtianę prudentiæ Decurionum committẽda ſunt. Atq; in illis Ciuitatibus, & Congregationibus, vbi Contradicentes inſtituuntur, vt omnibus propoſitis rebus in vtranq; partem diſputatis, certior eſſe posſit, & melior futura deliberatio, iuxta laudabilem morem Ciuitatis noſtræ

arbitror aliquando, Chriſtianum Decurionem ſatis conſcientiæ ſuę facere poſſe, ſi illos commoneat, de his, quę aduerſus perſonam nominatam vrgere ſibi videntur. Ita ni fallor fiet, vt ipſi contradicentes publica auctoritate ad hoc officium electi, magis libere, & minus inuidioſe, posſint vniuerſo Conſilio ea prudenter ſignificare, & exponere, quæ necesſitas, & vtilitas propoſitæ electionis poſtulabit. Hæc ſumma ſit, vt Chriſtianus Decurio, in animo ſemper habeat, publicis commodis cumulate, quantum poterit conſulere, & prouidere, non permittendo, aut conniuendo vnquam, ut ſua taciturnitate prouocet in ſeipsū iram Omnipotētis Dei, qui, cum iudicij tempus aduenerit, obiurgabit, clamabit, vindicabit, qđ etiam ſilentium Decurionum maxima vituperatione dignum vocat Luc. de Penn. in l. vnic. C. ſi curialis relicta Ciuit.

An, & quomodo posſint Ciues, ſine peccato cupere, in ordinem Decurionum admitti.
Quæſtio 19.

MInime probare poſſum illorum cogitationes neq; ſtudia, ſed intimis ſenſibus deteſtari ſoleo, qui cum nihil habeant facultatis, & ingenij, quod ad rerumpub. adminiſtrationem conferre posſint, inſana cupiditate Decurionatum petunt, vt aliquam occaſionem aſſequantur amicis gratificandi, aut impatientes otij, quo vti neſciunt, vel aliorum exemplo, & inuidentia moti: de quibus ocioſis hominibus agit Plut. in

Polit.

Polit. col. 1. Ver. quemadmodum enim, quibus domi nihil eſt boni, in foro maximam temporis partem agunt, ita nonnulli occioſi in publica negotia ſe ingerunt; A qua infecta radice colligit Diabolus quotidianum fructum multorum peccatorum; & Florentisſimæ Ciuitates, inconſultis ac damnoſis deliberationibus in exitium ruunt. Operæ pretium ergo puto, hoc genus hominum hac ſaluberrima præceptione erudire, non tantũ ex grauisſimorum Philoſophorum ſcriptis repetita, verum etiam ex ipſa ſpirituali diſciplina, quam Spiritus Sanctus in Orbem terrarum euulgauit. In Ciuili ſocietate tres hominum gradus ad præſentem quæſtionem illuſtrandam, mecum ipſe ſoleo diſtinguere, & in ſupremo omnium pono eos, quos omnibus naturalibus adiumentis Diuina bonitate inſtructos varia eruditio, ac diuturnus rerum agendarum vſus adeò cõfirmauit, vt non ſolum ex diuerſis ſententijs ad gubernandam Ciuitatem dictis, facile posſint meliorẽ eligere, verum etiam à ſeipſis proprio iudicio excogitare quid honeſtius, quid iuſtius, quid vtilius deliberari debeat, proximum alij tenent locum, qui, licet non multum vt illi, ingenio præſtent, atq; iudicio, ad bene, & vtiliter in publicis conſultationibus cogitandum, accedunt tamen ſine ullo mentis errore, ad illorum ſententiam, quæ, re vera, melioribus rationibus fundata, erit amplectenda. Sapientisſimum dicunt eum, cui, quod opus ſit, in mentem veniat, proxime accedere illum, qui bene inuentis obtemperet. Cicer. in orat. pro Cluent. omnium infimi ſunt,

qui neq; facultatē cogitandi valent, neq; diſcernendi:hos equidem, tanquam ad publicas conſultationes minime idoneos,ab adminiſtranda Ciuitate penitus arcendos, ſenſit Liuius, lib.22. Qui,nec ipſe conſulere,nec alteri ſcit parere, extremi eſt ingenij,illos verò,quod poſſint optimis conſilijs eam adiuuare admittendos probauit Ariſtot. lib. 3. Politicor. cap. 4. & ex eo, Io. Iuſtinopol. de Magiſtrat. Prætor, part. 1. Cap. 3. Simanc. de Repub. lib. 7. cap. 4. Quod ſi bonorum virorum, inquit Plat. lib. 1. de Repub. & optimorum Ciuium eſſet plena Ciuitas, magis inter ſe contenderent deſiderio vitę quietæ, quā nunc torqueantur, immoderata cupiditate gubernandi: à qua,cum præſentis diſputationis occaſionē ſumpſerim,hortor in Domino, & precor vltimæ Claſsis homines, pro eo, quanti æternam ſalutem faciunt, ne ſuæ minus idoneæ conditionis immemores, Ciuitatum gubernationem cupiant,aut capiant, cum Decurionatu coniunctā; non enim eſt ſuſcipiendus honor, niſi prius qui illum cupit, vires ſuas, cum honoris onere metiatur Caſſan. de Glor. mundi part. 1. Conſiderat. 40. animo, & lectione repetant, quæ in ſimili argumento ſcripſi de Aduoca. Chriſtia. part. 1. Quæſt.35.Impresſionis Cremon. nimio appetitu proprię eccellentiæ, non patiantur ad eum ſe efferri gradum, quo, cum peruenerint, facilimum deinde ſit, & ferè neceſſarium, grauisſimis, & frequentisſimis erroribus,è poſſesſione Diuinę gratiæ deturbari, qui à Deo creati ſunt, vt aliorum conſilio regantur, Angelicum meditando caſum perhor-

perhorreſcant: tandem, ex his, quæ mox ſubijciā, fortiſsima argumentatione conuincantur, quod etiam ipſi clariſsimi viri, ciuili virtute præſtantes ſi Ciuitatis gubernacula affectent, & ambiant, magna ſuſpicione priuati commodi procurandi, ac temeritate notantur. O Traſimache, inquit Plat. lib. 1. de Iuſto, nemo non vocatus, ad Rem pub accedat, Inuitos, non ambientes in Repub. collocandos ſcripſit Lamprid. in Alexandro, & Imperat. in l. ſi quemquam, C. de Epiſcop. & Cler. in quam ſententiam, multa recenſuit Plutar. in Polit. quæ, multo illuſtrior efficitur, ex eo, quod Tutores priuati, tutelam affectantes iure reiciuntur: l. vxori ff. ad l. Corn. de fals. l. quę omnia, § 1. ff. de procur. glo. in l. final. §. 1. ff. de officio Præt. cū ſimilibus adductis per Iodoc. Damaud. in patrocin. pupillor: tit. de pupillo. & prodigor. bene gubernat. gratiar. actio n. 7. Qua propter cum ego contemnere ſoleam, quę, nonnulli mirantur, Ita me Deus amet largitor huius Sācti Zeli, quo me inflammatum agnoſco, non poſſum æquo animo videre, neq; pati, quod nonnulli conciues mei per conſequentias hæreditatum, ad vnius pupilli legitimam tutelam à lege vocati, hoc per neceſſarium, & publicum munus, multis ſæpe mendacijs, multis per iurijs, multis malis artibus ſubterfugiant: Decurionatum vero, qui, nihil aliud eſt quam vniuerſorum Ciuium Tutela, & cura, incredibili ſollicitudine, & anxietate cupiant, petant, efflagitent: quos ideo Dauidico verſiculo interpello Pſalm. 92 Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquādo

ſapite; omnia illa incommoda conſiderate, & pericula peccandi innumerabilia, quæ grauiter, & copioſe fuit perſecutus Epiſcop. Zamor. in ſpeculo vitæ humanæ, part. 1. cap. 36. & ego, in hoc libello explanaui: Cupiditates veſtras, intra rationis gyrum, & cancellos Diuinæ legis continete. Obtemperate Salomoni qui, Diuino Spiritu eruditus, vos, his verbis admonet amantisſime. Fili mi noli quærere fieri Iudex, niſi virtute valeas rumpere iniquitates; quod ſane præceptum, licet videatur his tantummodo iudicibus promulgatum, qui, inter priuatos, Iudicandi munus exercent, optime tamen etiam ad Decuriones pertinere fatebitur, qui huius muneris naturam expendet quod in eo præcipue verſatur, ut ſententia, & ſuffragijs ſuis iudicent, ac decernant, quid Ciuitati magis expediat: hac ergo sācta vos Deus admonitione informat, vt amore proprio vacuati, voſmet ipſos excutiatis, numquid tanta virtute animi præditi ſitis, & conſtantia, vt reſpectus amicorum, affinium, & cuiuslibet priuati commodi veſtri, publicis conſilijs posſit officere; quo loco, quidam vulgaris error confutādus eſt, qui, ambitioſorum, & imperitorum mentes peruagari ſolet, ex Apoſtolica ſententia male intellecta, & peius vſurpata ſuſceptus: Qui deſiderat Epiſcopatum, bonum opus deſiderat, qua fit, vt qui deſiderat Decurionatum, bonum opus quoq; deſideret ſed Apoſtolus ibi, non dicitur laudare deſiderium deſiderantis, ſed bonitatem operis deſiderati, qua ſanè ratione, ita contundit ambitionem humanam Giral. in lib. de virtut. & vi-

tijs cap. de Superbia: Epiſcopatus eſt bonum opus, ad Eccleſiam gubernandam inſtitutum, ſed eius ambitionem improbarunt ſancti, voce, ſcriptis, exemplo: ſimili ratione, Decurionatus eſt bonum opus, ad regendas Communitates valde neceſſarium: ſed eius ambitus, fuit ſemper varijs legibus vindicatus, apud omnes Reſpub. bene conſtitutas, quod ſexcentis exemplis confirmare poſſem: Sed vt veniam ad illud, quod ad meum præcipue pertinet inſtitutum, ab omni culpa liberarem eos, non iniquos propriæ virtutis æſtimatores, qui, cum videant Ciuitatem à malis Decurionibus male gubernari, factionibus exagitari, labenti patriæ, quã poſſunt opẽ ferre ſtudeant, atq; nitantur hoc præcipiunt Philoſophi, & inter eos moralisſimus ſeneca ad Gallio. de Vita beata. Salomonius in quadam Epiſtole ad Clem. Septimum Simanc. de Repub. lib. 2. cap. 4. & 10. Hoc re ipſa præſtiterunt ſanctisſimi viri, qui ne adminiſtratio Eccleſiarum improbis Prælatis concederetur, vltro ſe ad tantum ſubeundum munus, obtulerunt, & quod Chriſtiana demisſione animi repudiaſſent, charitate accenſi, petierunt, & impetrauerunt vt legitur de Sancto Ildefonſo, & ſcribit Thom: Morus, de alio viro Religioſisſimo, in Præfatione ſui libri, de inſula vtopia: quo caſu, ſi quis iuraſſet, numquã velle inter Decuriones cooptari, hoc vtiq; iuramento minime adſtringeretur. Gregor. Sair. in claui Regia lib. 5. cap. 7. col. 3. ver. ſin autem ſic iurans. Cœterum, cum ſępe ſoleat ſagacisſimus humani generis hoſtis, transfigurare ſe in

Angelum

Angelum lucis, & miſeri mortales, noxijs cupiditatibus obſequentes facile decipiantur, ſumma cautione opus eſt, ne ſub ſpecie publici boni promouendi, priuatis affectionibus ſeruiant: cũ igitur ſe excitari ſentiant, ad Remp. capeſcendã, comprimant deſiderium, nec patiantur ſe ferri præcipites: cogitent, quam impares ſint tanti muneris grauitati: quam ſæpe, quam grauiter errare poſſint, animam peccatis expurgent, & excolant operationibus illis, quæ Deo gratiores ſunt: mox ſummis precibus eum deprecentur, ut ſui ſancti luminis facem, eorum menti præferat, neq; ſinat eos, in re tanti momenti errare, & falli: Ita certe ſiet, vt vel abijcientes conſilium Decurionatus aſſequendi, maxima quiete animi perfruãtur: vel in Ordinem admiſſi, id ſemper cogitent, quomodo Diuinæ vocationi reſpondeant.

Quomodo Ciues debeant ſe gerere in Decurionatu petendo. *Quæſtio* 20.

VBicunq; aliquis Ciuis, ad Patriæ munera obeunda verè idoneus, commoueri ſe ſenſerit deſiderio illius adiuuandæ, & cum Deo egerit, illo modo, quem in calce docui Quæſtionis ſuperioris, non improbo, quin modeſte poſſit petere ſe in Ordinem cooptari, & aliorum Decurionum ſtudia ſibi conciliet, atq; voluntates; rogando, vt ſi quid habeat, quod in communem vtilitatem Ciuitatis conferre poſſit, illud æſtiment, & oblatum, hilari animo recipiant. Verũ,

hac

hac in re, maximam animi moderationem requiro, ne competitorum vitam, acta, & mores carpat maledictis; ſed cum Decurionibus agat tanquam, ad Diuinam voluntatem explorandã, & exequendam optimis inſtrumentis. Atq; vt ſciant omnes, quouſq; humana ſollicitudo progredi poſſit permittente Deo, qui, Apoſtolico pręconio nobis pręcipit, vt in eum, omnem ſollicitudinem noſtram proiciamus, illud, in hunc locum transferendum eſt, quod in Conſolatione ad Aduocatos afflictos ſcripſi Part. 2. de Aduocato Chriſtiano, ex Dioniſio Carthuſiano ſuper Epiſtol. B. Iacobi, quod ſcilicet, velit quidem Deus, vt & nos de nobis ipſis ſolliciti ſimus, ſed ita moderate, ut noſtra ſollicitudo nõ ſit mentis perturbatiua, aut deuotionis impeditiua; quod, proculdubio continget, ſi nos Diuinæ voluntati penitus ſubiecerimus. Qua propter qui Decurionatum petunt, hoc præcipuo ſigno cognoſcent, atq; euidentiſſimo, numquid re uera ſolo ſtudio in Deum, & in Patriam operationes ſuas conferendi, hoc munus ſibi demandari poſtulauerint, ſi ſua petitione repudiata, ipſi excluſi, tranquillitatem animi retineant; Quanto enim maiore perturbatione inquietantur, tanto magis, à uero ſcopo aberrabant, non Dei beneplacitum neq; publicum bonum querentes, quod omnes Sancti, & Religioſi uiri, tum ſcriptis tum uoce, celebrant.

Quomo-

Quomodo poſſit, ac debeat Chriſtianus Decurio ſententiam ſuam explicare.
Quæſtio 21.

QVomodo poterit prodeſſe Commu nitati, ille Conſiliarius, qui quæ ad publicum bonũ excogitauit, neſciat explicare inquit Thucid. quem refert Auctor Aphor. Politicor. n. 21. & Bartol. Philip. de Conſiliar. cart. 44. Hippol. à Collibus in ſuo Conſiliar. Pro inde, ut prętermittam quæ, iuſtis uoluminibus, infiniti Rethores dicendi præcepta tradiderunt, in primis Decuriones admoneo, ut prudenter excogitent rationes, quibus aliquid ſuadere uolunt, uel diſſuadere, conſiderent ſcilicet, an ad rem propoſitam afferri poſſit aliqua diſpoſitio legis communis, uel particularis, an ratio, an exemplum, an auctoritas uiri grauisſimi, & id genus alia quibus adinuentis, omnia ingenioſe diſponãt eiuſmodi ordine, ut non ſolum intelligi posſint, uerum etiam, in animis audientium imprimi atq; defigi, ſæpe audiuntur, qui ita inordinate, & confuſe dicunt, ut uix compræhendatur, quid animo, & mente conceperunt. Maximum ſignum ſcientiæ eſt ſcire docere, inquit Senec. & D. Auguſt. lib. 4. de Doctor. Chriſtian. hoc etiam ſignificauit Hippol. à Collib. in loco citato, dum tria recenſuit ſigna, ad ingenij præſtantiam diſcernendam aptisſima. Argutiam in reſpondendo, Facilitatẽ in intelligendo, Claritatem in dicendo: mirumq; eſt dictu, quantum lumen rebus afferat ordo, &

quantum ualeat ad res memoria continendas ac dilucide in Conſilio explicandas Paleot. part. 5. quæſt. 2. ſapientis enim eſt bene ordinare quæ tractanda ſunt vt præcipit Philos. lib. 3 Rethor. qua in re, nonnulli obſeruant vt una ex melioribus rationibus, in prima parte, alia, in extrema collocetur, quibus breuiter ac dilucide propoſitis, confutanda ſunt ea, quæ, ſuæ ſententiæ repugnare uidentur,& ſi oratio paulò longior fuerit, commode poterunt, & compendioſe reaſſumi perorando, quæ, dicendo fuerint, latius pertractata. Quo ad uerborum genus, cum idiomate vulgari dicant Decuriones ſententias ſuas, penitus improbo orationem, quæ decorum non habeat, & grauitatem: ſed, & mihi ſtomacum mouent quædam elocutiones, plenæ fuci, & oſtentationis: Abſtineant ergo Conſiliarij ab illis dicendi formulis, & uerbis, quibus ipſimet ex infima plebe homines, in quotidianis ſermonibus utuntur Paleot. d. part. 5. quæſt 2 Ver. alterum, ne uulgaria nimis rudiaq; uerba, quæ potius ex imperitorum hominum ore, prodire ſolent: quemadmodum enim in omni actione, ita & in ſermone ſine decoro, peccatur. In extremum loco huius quæſtionis reſeruaui aliam breuem diſputationem, numquid lunga vel breuis debeat eſſe oratio conſiliarij quæ ſanè quæſtiuncula explicari poteſt, repetendo nonnulla præcepta Plinij: Iun. lib. 1. Epiſtolarum, in ea quam ſcripſit ad Cornel. Tacit. Breuitatem eſſe cuſtodiendam, ſi cauſa permittat, alioquin, præuaricatio eſt tranſire dicenda, & breuiter attingere, quę ſunt ex

pli-

plicanda, & inculcanda. Aliud alios mouet ac plerunq; paruæ res, maximas trahunt. Varia ſunt hominum iudicia, variæ voluntates; quò fit, vt qui eandem cauſam ſimul audiuerunt, ſæpe diuerſum, interdum idem, ſed ex diuerſis animi motibus, ſentiunt. Pretcrea, ſuæ quiſq; inuentioni fauet, & quaſi fortisſimum complectitur cū ab alio dictum eſt, quod ante præuidit; Omnibus ego dandum eſt aliquid, quod teneant, quod agnoſcant.

De diuina lege à Decurionibus exquirenda. Quæſtio 22.

IN ſuperiore queſtione, dum agerem de inueniendis locis, quibus, vti poſſunt Decuriones ad ſententiam ſuam confirmandam, primo loco poſui diſpoſitionem legis communis, aut particularis, quod ſanè præceptum ita ſentio in vſum inducendum, vt ante omnia ſuadendi argumenta, prius intelligere conentur, quid in re propoſita iubeat Deus, quia, omnium conſiliorum rectum gubernaculum poſitum eſſe in lege Diuina inquit D. Ciprian. in quadam epiſtola, quam citat Iuſt. Lips. lib. 3. Polit. cap. 5. id quod, vt reliqua regia munera præclarisſime præſtabat, prudentisſimus Propheta Dauid, de ſe ipſo ita dicens, Pſalm. 118 Conſilium meum iuſtificationes tuæ: licet enim doctrinæ Ciuilis inter omnes Principes eſſet longe peritisſimus, qua populos diuinitus ſibi commiſſos gubernabat, nihilominus, vnum ſibi fidelisſimum conſiliarium delegerat,

rat, cui omnia prius communicabat, & ab eo im probata conſilia numquam ſuſcipiebat; quem conſiliarium appellat, iuſtificationes Dei, qua Sancta admonitione omnes Rectores populorũ, ad tanti Regis exemplum informat Ribad. lib. 2. de Relig. Chriſt. cap. 31. quem locum Dauidicum, explicat ibi Illuſtrisſimus Bellarminus his verbis, conſilium meum quaſi Senatus meus, & Conſiliarius meus, quē conſulo in rebus dubijs, ſunt mihi Iuſtificationes tuæ, hoc eſt, præcepta tua. Cum enim, vnuſquiſq; Decurio, quatenus homo rationalis, ea de cauſa fuerit ab Omnipotente Deo procreatus, ut in hac vita mortali ſanctam eius legem obſeruet, ac tandem eius ęterna viſione in Cœleſtium animorum numero perfruatnr, ita debet ſe gerere, in hoc publico munere exercendo, vt vltimum eius finem posſit adipiſci, ad quem aſſequendum nihil vnquam committat, quod Deo diſpliceat, omnia faciat, quæ tantę Maieſtati gratiora cognoſcet. vt etiã Apoſtolico teſtimonio cohortatur Paleot. in concluſ. operis, memb. 2. in quo argumento latisſime verſatur Ribad. in lib. citato, lib. 1. cap. vbi quamplurimis ſacrę ſcripturę teſtimonijs oſtendit, in magnis erroribus verſari adminiſtratores Reipub. qui, ad Diuinam legem ſua conſilia non referunt. Humana enim conſilia caſtigantur, cũ Diuinis preceptis ſe præferunt, inquit Hippol. à Collib. in ſuo conſiliar. quæ etiam valde commendat Io. Boter. lib. 2. de iure ſtatus cap. de Religione vbi, & ipſe ex Deuter. deſcribit Diuinam iusſionem, ad quam, veluti ad lapidem

Lijdium omnes Decurionum conſultationes, eſſent conferendæ. Conſcientia, inquit Tertull. obumbrari poteſt quia non eſt Deus, extingui non poteſt, quia eſt à Deo: quemadmodũ enim, in Tractat. de Aduoc. Chriſtian. ex Bal. & alijs, ſæpe obſeruaui, ſub prætextu legalis ſcientiæ, peccare nonnunquam Aduocatos in foro conſcientiæ, ita nunc uſurpare poſſum, ſub prætextu Politiæ Ciuilis, grauisſime errari in Chriſtiana diſciplina, cui omnes gubernandi præceptiones deſeruire debent D Thom. de Regim. Princip. cap. 15. lib 1. hoc igitur conſilij capiant Chriſtiani Decuriones, vt cum præſciuerint, quæ in publicis conſilijs, pertractari debent, ante omnia ſecum diſpiciant, vel ſapientum virorum iudicium exquirant, quid magis Deo probetur, illudq; omni ſtudio perſuadere nitantur, quod ut faciant animo alacriore, audiant quæſo D. Auguſt his uerbis ſcribentem: Epiſtol. 5. ad Marcell. Proinde, qui doctrinam Chriſti dicunt aduerſam eſſe Reipub. dent exercitum talẽ, quales, doctrina Chriſti eſſe milites iusſit. dent tales prouinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales ſeruos, tales Reges, tales Iudices, tales deniq; debitorũ redditores, & exactores ipſius fiſci quales præcipit eſſe doctrina Chriſtiana, & audebunt eam dicere aduerſam Reipub. imo magnam Reipub. ſalutem afferet, ſi illi obtemperetur.

Qua ratione poſſint Decuriones, auctoritatem ſibi conciliare. Quæſtio 23.

MAximi ſemper fuit exiſtimata momenti ad perſuadendum, ſumma Decurionis aucto ritas, vſq; adeò, vt ſine ratione, plerunq; auditorum animos moueat: Id ratum habent homines, quod ab eo quem probant, iudicatum uident. Cicer. lib. 1. de Natur. deor. & lib. 1. de Finibus, tuemur, inquit, ea quæ dicta ſunt, ab his, quos probamus: & de Clar. Orator. ſcauri orationem commendans, ait Grauitas ſumma, & naturalis quędam in erat auctoritas, vt non cauſam, ſed vt teſtimonium dicere putares, quod ad ſenatoriam ſententiam aptum maximè videbatur, quæ auctoritas, licet in vniuerſum à pluribus fontibus deriuare ſolet, quos recludit Cępoll. in tractat. de imperator. milit. deligen. §. Auctoritatis: nihilominus à Decurione Chriſtiano quibuſdam peculiaribus rationibus comparari debet, quæ, ſui muneris rectam adminiſtrationem reſpiciunt, vt enim mulier, alioquin multis virtutibus prędita, niſi ſit honeſta, miles, niſi ſit in bellicis periculis ſtrenuus, & fortis, Notarius, niſi ſit in ſuo officio fidelis, nullam laudem, à probis viris demereri poſſunt, ita Chriſtianus conſiliarius alijs ornamentis decoratus, ad ſummum ciuilis auctoritatis gradũ non perueniet, niſi vere ſit, & habeatur, ciuili doctrina, & vſu rerum excultus, publici boni ſtudioſiſſimus, Chriſtianis moribus præditus in ſententia dicenda

ſincerus, & liber. & in agendo conſtans, & fortis quamobrem, eum ſumma ope niti decet, vt Diuinam legem re ipſa, non ad ſpeciem, & opinionem hominum obſeruet. Paleot. in cõclus. operis memb. 3. niſi enim re vera fuerit bonus, impoſſibile eſt, eum frui diuturna opinione bonitatis: D. Chriſoſtom, Homil. 40 in Math. Quintil. Inſtit. Orator. lib. 12. Cap. 1. Guicciard. Admonit. 46. caueat etiam, ne in rebus ad conſultandum propoſitis, ea omnia ſtatim effutiat, quæ in buccam venerint, ſed prius ſecum examinet; quid, & quo ordine dicturus ſit, illud etiam ſtudioſe curet, ne in publicis rebus tractandis, vere poſſit in ſuſpitionem trahi priuati commodi curandi nam vbi ſemel, à recto curſu optimorum conſiliorum, & publicæ vtilitatis flectere depræhenſus fuerit, cõtinuò è poſſeſſione Ciuilis exiſtimationis deturbabitur, nihil vnquam dicet, adeo ſincerum quod praua interpretatione non detorqueatur præſertim ab his, qui, ex intima ſua cõſcientia, quę ſemper priuato reſpectu mouetur, de alijs ſimile iudicium concipiunt, D. Augſt. in Pſalm. 25. ennarrat. 1. & lib. 3. de Doctrin. Chriſtian. cap. 19. Hæc ſumma ſit, vt Chriſtiani Decurionis omnia munia conſequi Deo adiutore conetur. eundemq; ſe ſemper exhibeat, vt Deo gratus, Reipub utilis, omnibus charus poſſit exiſtere: adeò enim pleriq; ſunt excellentis iudicij, ingenijs Decurionum dignoſcendis, quod, vbi ſemel alicuius conſiliarij ſimulationem odorauerint, uix illi fidem adhibere poſſint.

Quod ubi poſſint omnes Decuriones venire debeant præmeditati ad Conſilium. Quæſtio 24.

QVod in tanta declinatione bonarũ artiũ, in tanta eorum Ciuium penuria, qui præceptis Ciuilibus animum ſuum excolere ſtudeãt, ad Rempub, gubernandam, cogatur ordo Decurionum implere numerum hominibus ineptis, & minime idoneis, valde dolendum eſt, atq; deplorandum: quod vero hi Decuriones, quos iam delineaui, ad publicas res nihil penitus ſtudij, nihil voluntatis unquam conferant, ſemper negligentes, ſemper imprudentes, nõ poſſum æquo animo cogitare, neq; pati, ſi enim, id exigui talenti, quod habent, alacri animo, in publica cõmoda inpenderent, ſi ſaltem cuperent labenti Patrie opem ferre, aliquanto melius, cum communitatibus ageretur, quemadmodum etiam, dignos exiſtimo qui grauiſſime repræhendantur eos, qui, maioribus donis à Deo cumulati, negotia publica minime curant, perinde quaſi, ad ipſos non pertineant: quo fit, vt plerunq; inter ſint Conſilijs, non premeditati, eaq; conſilia capiant quę ſubito, ſibi immentem veniant quamobrem, hortor omnes Conſiliarios, vt prius intelligere curent, quid in Conſilio pertractandum ſit eaq; animo meditentur, quæ ad optimam deliberationem ſuſcipiendam accomodari poſſint. Imitenturq; Belingerium Baltaſſinũ Conſiliarium Ferdinandi Regis Tarraconẽſium, de quo Iouiã.

Pontan. lib. 4. de obedient. cap 9. ita ſcribit: Is quoties de re dubia aliqua, aut maxime graui negotio conſultandum eſſet, poſt prandium, iocabundus, familiares ſuos omnes conuenire iubebat, propoſitaq; aliqua ficta queſtiũcula haud tamen ab re, rogatiſq; ſingulis ſententiam dicere perſcrutabatur cuiuſq; iudicium quibus poſtea ſententijs collatis inter ſe, & diu, multumq; penſitatis, facile inſpiciebat, quænam eſſet ſententia verior, magisq; accomodata; hoc etiam faciebant ſuperiore ætate multi Doctores Collegij noſtri, admiranda prudentia, & ſingulari eruditione præſtantisſimi, de quibus ſigillatim nihil dico, ne, ſi minus de aliquo, ingrata, ſi ſatis de omnibus, infinita videatur eſſe oratio mea.

Quid facere debeat Chriſtianus Decurio, qui à communi aliorum opinione diſſentiat: Quæſtio 25.

PRæſens quęſtio in eiuſmodi argumento verſatur, in quo, quamplurimos errare vidi, maximo pudore ſuffuſos, qui non audent ſententiã ſuam proferre, ne tanquam ſingulares irrideantur, omni ſpe deſtituti aliquid proficiendi in qua quæſtione, certisſima concluſio circumfertur, nõ poſſe Decurionem tuta conſciẽtia animi ſui ſenſum tacendo comprimere: cum enim illius officium conſiſtat in recte conſulendo, non debet ex eo inquietari, quod alios in ſuam partem trahere non posſit, Cardinal. Paleot. in ſæpe citat. tractat.

de Conſultat. Sacri conciſtor: part. 2. quæſt. 6. & ,, quæſt. 9. ver. quoniam in conſiliario aliud eſt of- ,, ficium, aliud finis: ad officium tenetur conſilia- ,, rius, quod eſt in eius poteſtate, ideſt fidele conſi- ,, lium dare, ad finem autem non adſtringitur, qui ,, eſt perſuadere, & ab eo non pendet quod etiam prius docuit Cicer. Philippic. 2. Vnusquiſq; rectisſimam ſententtam dicat, etiam ſi ſolus in ea, ſingularisq; futurus ſit quod ad eum non rei exitus, ſed conſilium, & ſuffragium optimum pertineat: cuius auctoritatem refert Auctor queſtio. Polit. part. 1. queſt. 23 huc transferri poſſunt, quę præcepit Deus. Exod. cap. 23. Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio, plurimorum aquieſce ſententiæ vt à vero deuies: quamobrem vbi ſentiat Decurio, opinionem ſuam eſſe meliorem, non debet conſcientiam ſuam fraudare debetq; anteponere bonum publicum, ſuſpicioni propriæ exiſtimationis deminuendæ Paleot. part. 3. quæſt. 6. Innocent. in ca. 1. de his quę fiunt à maior. part. capitul. Fin. in cap. none, de præſnmptio. præterea ſcire non poteſt an ſit alijs perſuaſurus, niſi ſententiam dixerit, quibus ſane rationibus, ita definiuit in ſpecie noſtra Licentiat: Piſan. de Curia Piſan. lib. 2. c. 13. & ibi Appoſtellator. ipſoq; vſu rerum ſæpe compertum eſt, Diuinam bonitatem, alicui conſiliario, nonnunquam tantam dicendi gratiam, & vim elargiri, vt omnium corda moueat, & flectat. D. Thom. 2. 2. queſt, 177. articul. 1. quamobrem aſſueſcat Decurio, non aliquando, ſed ſemper, ad ſolam publicę vtilitatis cauſam oculos con-

uertere, & quid ſentiat, aperte, candide, veraciterq; proferre. Ita certe, ex hoc proprio eius ac perenni inſtituto, intelligent omnes eum, hanc libertatis, fidelitatisq; dicendi poſſeſſionē adeo arcte apprehendiſſe, vt nec etiam eo tempore quando alij omnes in contraria trahuntur, velit illam deſerere, quam de ſe opinionem ſi tuebitur, mirum eſt dictu, quantum Reipub. prodeſſe poſſit.

De Decurione, Conſilij ſecreta reuelante.
Quæſtio 26.

VTinam ego, eam eloquendi vim diuino beneficio eſſem adſecutus, vt in animis omnium Decurionum, defigere, atq; imprimere poſſem, quæ, & quanta mala in Rempub. inundent ex infedelitate illorum, qui ſecreta Conſilij non cuſtodiunt. Quam grauiter errent, ac turpiter delinquant, æternis ſupplicijs propterea mancipandi. Iure etenim Ciuili conſtitutum eſt, inter Patriæ proditores adnumerari, qui ea pādit, quæ in Conſilio tractantur Angel. in l. Athletas §. præuaricator. ff. de poſtul. Auend. in tractat. de exequend. mandat. Reg. lib. 1. c. 2. n. 25. facit tex. in L. omnes delictum § Exploratores ff. de re militar. & committit crimen punibile pœna falſi. L. obſeruandum ff. de offic. Præſid. Io. de Plat. in Rub. C. de Decur. lib. 10. Cepoll. cons. criminal. 39. n. 26. Lancellot. in d. tractat. de Decur. nu. 58. vbi etiam inquit, poſſe ab ordine moueri Martin. laud. in tractat. de conſil. Princip. queſt. 2. Bar.

a Bar. in l. aliud ff. de pœn. Licent. Piſan. de Cur. piſan. lib. 3. cap. 1. Paris. de Put. de Sindicat. cap. de exceſſibus Conſiliar. Boſs. in praxi Criminal. tit. de carcerat fideiuſs. n. 31. vbi à ſilentio quod in Conſiliarijs exigitur, ſcribit eos vocari ſilentiarios: Qua in re, illud præcipuum incommodum inter multa alia, quibus hac de cauſa Ciuitates afficiuntur deplorare, ac deteſtari ſoleo, quod vbi cötingat leuitate aliquorum, in vulgus efferri quæ ingenue aliquis Decurio dixerit in propoſita controuerſia, multę ſimulates, & occulta odia in eum erumpunt; quo poſtea fit, vt minus libere ſententiam dicat; & publica negotia priuatis reſpectibus cedant. Vt etiam animaduertit Boſſ. vbi ſupra n. 30. in fin. quod ſanè ſilentium, vt ſumma religione obſeruaretur, maximę curæ erat, priſcis illis Romanis à quibus bene gerendę, Reipub. optima præcepta peti poſſunt. Fidum, & altum erat Reipub. Conſiliũ, ſilentij ſalubritate munitum inquit valer. Max. Animam Conſilij ſecretum vocat Iuſt. Lips. lib. 3. Politicor cap. 8. vt re ipſa perſpicitur in Hiſtoria Pretextati Papirij quam retulit Gell. Noct. Atticar. lib. 1. cap 23. Is adoleſcens, cum patre fuerat in Senatu, & ab eius curioſa matre, cum interrogaretur, quid fuiſſet actum, neſcio quid ingenioſè commmentatus, reſpondit id fuiſſe à Patribus deliberatum, vt pro bono publico, liceret viris duas vxores ducere. Quod cum credidiſſet mater, indignabunda, quamplures alias fœminas appellare, & obteſtari cœpit, vt huic Decreto intercedẽtes, peterent à Senatu, vt potius illis

permitteret duos habere viros. Quamobrem po ſtera die, vt conſtituerant, rogare Patres, manibus præhenſare, contendere, ne tantum ſibi inferant iniuriam: Patres, re intellecta, deriſere muliebrem vanitatem, & ſummis laudibus prudentiam ac taciturnitatem adoleſcentis proſequentes, iure ſumendæ Togæ illum cohoneſtarunt: Egiptij abſcisſione linguæ animaduertebant in Senatores, qui conſilia publica renuntiabant, vt Diador. Sicul. memoriæ commendauit nec ad magnas res agendas adhiberi debet, qui tacere
„ neſcit: Quod his duobus verſibus expresſit Ho-
„ rat. lib. 1. ſatir. 4. Fingere qui non facta poteſt,
„ commiſſa cauere qui nequit, hic niger eſt, hunc
„ tu Romane caueto: Quod ſanè ſilentium ſummopere colebant Areopagitæ, qui erant Senatores Athenienſium vnde, apud antiquos, illud fluxerat prouerbium Areopagita taciturnior; illudq; tanquam adminiſtrandarum Ciuitatum fortisſimum vinculum, copioſe celebrat Gregor. Tholoſan. de Repub. lib. 23. cap. 6. quibus, operæpretium puto, adiungere elegantisſimum Apothegmà Alfonſi de Aragonia Regis Neapolit. quem ſcribunt nonnulli ſæpe dicſitaſſe, quod ſi ſibi contigiſſet in Repub. Roman. viuere, hortatus fuiſſet Senatum, vt ànte fores Curiæ extrui curaret Aram Ioui Poſitorio ſuper qua, Senatores ingredientes, priuatos affectus, egredientes verò ſecreta Conſilij deponerent: Ad hanc taciturnitatem, compelluntur Decuriones ex natura rei, & publici ſuſcepti muneris: vſq; adeò; vt etiam cum vitæ profuſione in rebus grauibus, eã

ſeruare

ſeruare debeant; teſte Sot. de ratio. tegen. Secret. memb. 3. quæſtio. 4. conclus. 6. quam ſi minime præſtent, grauiore periurij culpa, Diuinę iuſtitiæ obligantur, non ſolum hi, qui peculiari iuramento, fidelitatem promiſerunt de quibus Licentiat. Piſan & Sot. vbi ſup. Sed in vniuerſum omnes Decuriones, ex illo iuramento, quod in aſſumptione muneris ſuſceperunt, publici boni pro viribus procurandi quomodo enim publicā vtilitatem promouere poſſunt, ſecreta Conſilij euulgantes: Cum enim charitas ſit virtus vniuerſalis, habens imperium ſuper alias, & eas mouēs ad ſuas operationes, & propriū finē, vtiq; eius ſanctisſimo præcepto, debent moueri Decuriones ad illum actum fidei exercendum, quo ſecreta conſiliorum comprimuntur Sot. in lib. citat. membr. 1. Quęſt. 1. conclus 3. uer. ad ſecundū argū: non ergo patiantur, turpisſimo ſe uitio infidelitatis, proditionis, periurij, & linguæ incontinentis maculari, quam uirtutem taciturnitatis ualde laudabilem, & prorſus neceſſariam, qui conſequi cupiat, & in tempore, atq; loco exercere, nunquam deſinat, Diuinam opem implorare, illo Dauidico Verſiculo ad hanc rem valde accōmodato, Pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis: aſſueſcantq; in rebus etiā minimis, & exigui momenti huiuſmodi actus uirtutis Fidei inculcare, ut Deo sēper adiuuāte, præſtātisſimū illius habitū, quo, rerū publicarū tuta, & recta adminiſtratio cōtinetur posſint adipiſci: ut ſpiritualis diſciplinę præceptores ſanctisſimis ſuis ſcriptis, nos ſæpiſsime docēt, atq; erudiunt.

De Prudentia Chriſtiani Decurionis moderanda. Quæſtio 27.

QVemadmodum, qui in conſultatione rerum publicarum ad pauca reſpiciunt, grauiter, & ſæpe aberrant, ita, parum idonei exiſtimantur illi Decuriones, qui cum ingenij acumine, & præſtantia, Dei ſingulari beneficio excellant, multa facile excogitant in vtranq; partem; adeòq; ancipiti opinione diſtrahuntur vt ſemper animo fluctuent, & numquam certum conſilium capiant: temere putantes, in magnis rebus deliberandis, aliquid conſtitui poſſe, quod aliquam difficultatem non patiatur; quò fit, vt dum nimis prudentes eſſe volunt, publicis commodis aduerſentur: Aeuum ergo, & homines ignorant, & naturam Ciuilis Societatis non intelligunt quæ humano corpori, & ægroto comparari ſolet, varijs, & aduerſis morbis laboranti quorum vni, ſi remediũ adhibeas, alter augetur: Hos equidem conſiliarios, ſaluberrima admonitione informat Spiritus Sanctus, Prouer cap. 23 Prudentiæ tuę pone modum: & repræhendit Ribad. de Religio. lib. 2. cap. 33. in fin. Habet aliquid ex iniquo, omne malum exemplum, quod vtilitate publica rependitur, dicebat Tacit. qua de re, diſputat elegantisſime; ſcip. Ammir. lib. 4. cap. 7. & adducit prudentisſimi. Catonis auream ſententiam. Nulla lex inquit ipſe. ſatis commoda omnibus eſſe poteſt; id modo queritur ſi maiori parti, & in ſumma prodeſt. Palear. ad Tacit. Obſeruat. 435. in

quam

quam quoq; ſententiam afferri poteſt Angelici Doctor. ſaluberrima admonitio lib. 3. contra Gentil. cap. 71. n. 6. Gubernator inquit, debet negligere paruum defectum in parte, vt fiat augmentum bonitatis in toto quibus addo Lottin. Admon. 328. huiuſmodi exemplo id bene explicantem ſi ex re propoſita ſex magnæ vtilitates, & quatuor incommoda minora conſequantur fatuus foret ille conſiliarius, qui metu horum incommodorum, tot bona negligeret. Cum igitur, homo non poſſit omnia futura contingentia cōſiderare, incertæq; ſint cogitationes mortalium, debet Decurio, Spiritus Sancti opem aſſidue implorare à quo, recti conſilij donum ſolet proficiſci Dionis. Cartuſ. in ſumm. Fidei part. 2. lib. 3. Artic. 105. In ſumma, hoc præceptum memoria teneant, vt in primis conſiderent finem ſibi propoſitum an iuſtus ſit, & honeſtus: mox inquirant media ad illum aſſequendum ex quibus, eligant meliora, & certiora; poſtremò, quomodo rem de liberatam aſſequantur, incommodo minore, & expenſa: Bartolom. Philip. de Conſiliar. cap. 6. quemadmodum etiam è contrario inquit. Io. Baptiſta Lent. Obſeruat. Politicar cap. 21. Tanta eſt in quorumdam mortalium animis, cupido, & veſania, vt ſi quæ bona ſperent adipiſci, quæ tamen cum maximis malis cōiuncta ſunt, ſtatim incenſi cupiditate meliorum, coniunctum malū prorſus contemnant. Cum autem, id quod malum erat, aduenerit, adeò grauiter, & moleſte ferunt, vt maxime vellent ab omnibus optimis rebus abſtinuiſſe.

Quod

Quod Chriſtiani Decuriones eniti debent, ut intelligant vim, & naturam cuiuſcunq; virtutis. Quæſtio 28.

DEſumpſi hoc præceptum à Bartolom. Philip. in tractat. de conſiliar. cap. 6. qui, prudentisſime conſiderat, tot, ac tantis erroribus humanas mentes obcæcari, vt extrema vitia, nomine virtutis propinquioris, ab imperitis hominibus appellentur: temerarium enim, & nimis audacē qui ſine aliquo delectu, omnibus ſe periculis exponit, fortem: qui pecunias prodigè conſumit, liberalem dicunt, & cętera id genus qua de re, copioſe etiam agit Auctor Specul. Politicar. Obſer. lib. 1. tit. de Conſiliarijs vbi ſubiungit huiuſmodi cognitionem eſſe valde neceſſariam vbi agitur de Officijs conferendis, ne collatores, in æſtimādis virtutibus decipiantur: quas virtutes, non eſt mei inſtituti, in hoc libello, abſoluta tractatione explicare, nec declarare illorum extrema vitioſa quoniam, & Philos. in Ethic. D. Thom. in 2. 2. ſuæ ſumm. Iouian. Pontan. Vincent. Caſtellan. de Officio Regis, & etiam D. Ambros. de Officijs plenisſime diſſeruerunt: id ſolum dicam, omnem virtutem moralem relatam ad bonum Communitatis, compræhendi ſub iuſtitia legali: poſſeq; eum, qui poteſtatem habet condendę legis, præcipere actus cuiuſcunq; virtutis, vbicunq; ratio publicæ vtilitatis expoſcat, & ſubditos compellere ad obedientiam D. Tho. 2. 2. quęſt. 47. art 10.

Fernand.

Fernand. Rebell. de Obligat. Iuſtit. part. 1. in Prælud. ſectio. 2. n. 17. & 18. quamobrem poſſunt Decuriones ſaltem cum Auctoritate Principis, ad bonum communem præcipere de actibus temperantiæ, prohibẽdo immoderatos ſumptus in veſtibus, & commeſſationibus: poſſunt etiam interdicere Ciuibus ne ad Tabernas uinarias, epulaturi accedant: poſſunt præcipere actus fortitudinis, ut imminente peſte obeant Ciuitatem, ne contagione inficiatur: pariterq; de actibus liberalitatis diſponere, cogendo Ciues ad mutuãdum, vel ad pauperes alendos uigente caritate annonę, qua quoq; ratione, poſſunt uetare ludos alearum, & qui uulgari Idiomate appellantur, i Lotti. & ſimilia.

De fine Chriſtiani Decurionis. *Quæſtio 29.*

IN hoc libro multa ſparſim cõmemoraui, quæ propoſitę quęſtionis argumentum attingunt, verumtamen operæ pretium duxi, peculiarem tractationem ſuſcipere, vt finis Chriſtiani Decurionis melius illuſtretur; quo patefacto vnuſquiſque facile poterit, ea Conſilia Communitati proponere, quæ ab optimo Conſiliario debent emanare: quam vt explicem, repetenda eſt origo eius maximæ charitatis, quę nos patriæ deuincit, atq; obſtringit quemadmodum enim ſingulari dilectione, Deum opt. Max. proſequi debemus quod in eo, & ab eo, primum principium generationis, & natiuitatis noſtræ ſortiamur, ita, ſe

cundum

cundum eum Parentes, & Patriam, maximo ſtudio colere debemus; quem ſanè affectum, vno, & eodem nomine pietatis, ſolent exprimere, tum Theologi, tum alij variæ diſciplinæ grauisſimi auctores: D. Thom. 2. 2. quæſt. 102. poſt Philos. 8. Ethicor. & Ciceron. de officijs, & alibi ſæpe: & ex noſtris Socin. cons. 35. in fi. l. 1. & ſcrib. in l. 2. ff. de iuſt. iur. qua eximia charitate in Patriā inflāmati, quamplurimi, alacri animo vitam profuderunt, vt eiuſmodi exemplorum plena ſunt hiſtoriarum monumenta, & maxime Macab. cap: 8. vbi glorioſum dicitur pro legibus, & patria mori, & Eſther. cap. 15. Tholoſan. in Prælud. optim. Iuriscons. lib. 2. Cum igitur tantum Deo, tantū Patriç debeamus, quantum nemo cogitatione compræhendere, nec verbis explicare poteſt, id ſibi proponant Decuriones, vt poſt diuinæ legis accuratisſimam obſeruationem, nihil in ſuis conſilijs antiquius habeant, quam vt publicas Ciuitatis vtilitates, cogitando, loquendo, & operando promoueant, ſui priuati commodi, penitus obliti Gregor. de Repub. lib. 4. cap. 6 & Tull. in Epiſtol. 1. ad q fratrem: quod prçceptum, inter alia omnia primum, traditur ab omnibus, qui, de Repub. adminiſtranda ſcriptis ſuis diſſeruerunt. D. Thom. de Regimin. Princip. cap. 15. & vocatur elementum primum Reipub. beatæ: Simanc. de Repub. lib. 7. cap. 3. id quod iureiurando promittunt Conſiliarij, dum huius publici muneris poſſesſionem capiunt, qua in re, illud eſt diligentisſime conſiderandum, quod Decreta Decurionum, duplici ratione poſſunt publicam

vtilita-

vtilitatem reſpicere, nempe, ſi ad bonum commune, directò, & immediate referantur, aut ſi ſint ad propriam vtilitatem aliquorum, hoc videlicet conſilio, vt priuatis illorum commodis publico Decreto procuratis, Reipub. ſtatus poſtea melius conſeruetur, uel augeatur. Si enim bonum publicum, alterutra ex rationibus memoratis minime ſpectetur, ſuo muneri non ſatisfaciunt Chriſtiani Decuriones, Nauarr. de finibus human. actuum. Ver. Circa ſecundam finis diuiſionem n. 28. quod bonum publicum conſiſtit in felicitate ciuium temporali D Thom. 1.2.quæſt. 96. Bolognet.in l. 1. n. 191 ff ſolu. matrim. id quod elegantisſime declarat Petr. Barbos, in d.l. 1. part. 1. n. 64. cum ſequentibus, vbi ita diſtinguit publicam utilitatem, ad cuius ſcopum debent publici adminiſtratores, ſuas cogitationes & ſtudia omnino dirigere, quod etiam affirmauit D. Thom. 1. 2.queſt 90. Artic.2. hoc eſt diſpoſitionem factam circa aliquid particulare, non poſſe appellari bonam legem, niſi ſit facta in ordine ad bonum commune.

Quæ tamen diſputatio ut melius elucidetur, repetendæ ſunt, quatuor illæ publicę vtilitates quas propoſuit Bologn. in d.l. 1. n. 192 Prima eſt, quæ reſpicit bonum commune in communi, & in quolibet particulari æque principaliter, ueluti Sacerdotes, & Magiſtratus: unuſquiſq; enim poteſt intrare eccleſiam, & implorare tutelam Magiſtratus: Secunda utilitas ſumit principium à communi bono, ueluti publici ærarij, & in conſequentiam deſcendit ad priuatum, quia pleno

ærario

ærario non grauantur ciues. Tertia ſumit initiũ á priuato bono in ordine ad publicum, ut quod mulieres ſint dotatæ, & pariant poſtea filios. Vltima, & ipſa reſpicit publicum bonum, ſed remotum ex interuallo, ueluti quod ſubditi diuites ſint, & posſint leuare caritatem annonæ: Prima igitur publica utilitas, omnibus anteponitur in alijs uerò non poteſt certa regula cõſtitui, ſed ſecundum intentionem legislatoris, una, alteri præfertur, in uarijs figuris cauſarum.

Illud uerò, certum eſt, maiorem utilitatem publicam, præferri alteri publicæ minori: Ias. poſt Paul Caſtr. in l. cętera, §. ſed ſi quis ad opus ff. de leg. 1. Rip. in d. l. 1. num. 111. ff. ſolut. matrim. Quamobrem, cum ciuitates, in uarios ordines ciuium diſtribuantur, debet Chriſtianus Decurio, quantum attinet ad publicam ſuã adminiſtrationem rectè gerendam, ita inuigilare, ut tanquam amantisſimus Pater, & fidelisſimus tutor omnium ciuium, qui ſunt partes ciuitatis, commoda tueatur, Gregor. Tholoſan lib. 4 cap. 5. num. 47. in ſumma totius Reipub. maiorem utilitatem in ſuis cõſultationibus ſpectet: Quod ſi ageretur de lucro communitati acquirendo, & de damno alicui priuato ciui inferendo, publica utilitas non attenderetur. Tholoſan. de Repub. lib. 24. cap. 8. nu. 11. uers. & ſi agatur de commodo publico ſtatuendo, cum incõmodo priuati; maxima tamen prudentia opus eſt, Diuino lumine il luſtrata, ne, dum in aliqua re publicum bonum inquirit, in alia deſtruat atque corrumpat. quod dum optimè intelligerent

eſſe

eſſe neceſſarium Prudentiſsimi Reipub. Venetæ moderatores, inſtituerunt illam ſupremam Ducis dignitatem, cuius præcipuum eſt munus, omnes Magiſtratus in eiuſmodi officio continere ne, ſub prętextu publici boni curandi, illud, in alia re deminuatur, vt inquit Card. Conta.lib. 2. de Repub. Veneta. Huc etiam adduci poteſt quod fuit cōcluſum in Senatu Portucalenſi apud Georg. Cabed. deciſ. 74. lib. 1. quod Decuriones poſſunt deminuere numerum publicorum hoſpitiorum, quando hoſpites pretia rerum nimis augerent, non obſtante quod multitudo iſtorum tabernariorum afferat vtilitatem forenſibus ad Ciuitatem confluentibus quia vtilitas Ciuium pręferri debet, vtilitati exterorum.

Quod Chriſtianus Decurio inquirere debeat veram cauſam malorum publicorum.

Quæſtio 30.

VBI Ciuitas incommodis, & calamitatibus affligatr ſolent aliqui Cōſiliarij præſentiū tēporum, conqueri uel de auaritia Principum, & eorum Officialium vel de negligentia Ciuium in publicis muneribus exercendis vel quamlibet aliam cauſam, tot ac tantis malis prætexere. quibus vt mederi poſsint nulla prætermittūt humanę prudentiæ pręcepta. fruſtra tamen euadere nituntur, quia veram cauſam publici morbi non attingunt. quos hoc propterea ſaluberrimo pręcepto erudire conſtitui. Omne quod eſt malū, aut eſt peccatum, aut pœna peccati. Inquit Auguſt.

in lib. de Geneſi ad literam. quo fit, vt Catholicæ veritatis ratio hanc propoſitionem irrefragabilem in mente Decurionum defigere valeat omnium malorum publicorum pręcipuam eſſe cauſam Diuinam voluntatem ad peccata vindicanda. vt ſexcentis auctoritatibus, è Sacra Scriptura repetitis oſtendit Io. Boter. lib. 3. de Sapient. Regia Tholoſ. de Repub. lib. 21. cap. 3 nu. 43. hac de re his verbis ita ſcribens. Relinquunt cuſtodiam Regnorum, Principatuum locorum, & ,, perſonarum, Angeli Sancti ob peccata populi, & ,, ſcelera, quæ prouocant indignationem Dei, cuius ,, miniſtri ſunt Angeli, & ita relicta cuſtodia expo- ,, nuntur prędationibus inimicorum viſibilium, & ,, inuiſibilium, cuius rei, poteſt facere fidem Dauid ,, Pſalm. 70. Ne proijcias, inquit Deus me in tempo ,, re ſenectutis, cum defecerit virtus mea ne dere- ,, linquas me, quia dixerunt inimici mei mihi (vide ,, inimicos) & qui cuſtodiebant animam meam ,, (vide Angelos) conſilium fecerunt in vnum, dicentes. Deus dereliquit eum, perſequimini, & compræhendite eum, quia non eſt qui eripiat: in quo argumento, latiſsime verſatus fuit Saluian. iuſto volumine, de Prouidentia; in quo, tum piè, tum doctè planum facit, illam inundationem Barbarorum, quę non ſolum Italiam noſtram, verum etiam totum Imperium Romanum afflixit à Deo profluxiſſe, quatenus ſcilicet, illis monſtris conſceleratorum Principum vtebatur, ad iuſtitiam exercendam, & cum innumerabilia, & grauiſsima peccata populorum, qui tunc temporis à Diuina lege deflexerant, percenſendo comm emoret, vi-

dere mihi videor hoc æuum noſtrum,& præcipuè Cremonam,illorum temporum miſerrimam conditionem repræſentare, & multis ab hinc annis, varias propterea calamitates experiri;vſq; adeò, vt det mihi Deus, & multis alijs ſignificationem, vt fugere cupiamus à facie arcus; id quod ſolet aliquando facere, Dauidico teſtimonio Pſal. 59. mihi quidem ſæpe venit in mentem ſcribendo imitari D. Auguſt. in illo ſuo libello, de duodecim abuſionum gradibus, qui, ætate ſua, Remp. Chriſtianam corruperant, & non duodecim,ſed centies duodecim,colligere,& collectis deplorare abuſionum gradus,quibus, hæc noſtra ętas,in peius prolabitur. omnia ergo mala,ſunt pœnæ peccati, vt etiam copioſe perſequitur Ribaden. de Tribulat. lib. 2.in princip. qua in re Diuina quædam conſuetudo ponenda eſt ante oculos Chriſtiani Decurionis quam, in pœnis temporalibus infligendis probè cognoſcebat Propheta Regius Pſalm. 16. & eam ibi illuſtrat Illuſtriſs. Bellarm. aliquando enim, tum priuati homines, tum vniuerſæ Ciuitates,non ſolum ſine culpa verum etiã, iuſtis,vt ſibi videtur,rationibus, aliquod negotiũ ſuſcipiunt, ex quo deinde magna incommoda proficiſcuntur perſonãt omnia grauiſsimis querelis & dum iuſtitiam petunt in maximas calamitates conijciuntur, miſeri ſanè, & bono conſilio deſtituti:quod iuſtitiam efflagitent in negotio ſuſcepto non repræhendo, ſed opus eſſe dico, vt & miſericordiam à Deo deprecentur aliorum peccatorum præcedentium, quorum pœnam repetit iuſtiſsimus Deus, hac ratione, de qua diſputo;

quibus addo, quæ collegit Io. Bapt. Lent. Obſeruat. Politicor. Cap. 310. In omnibus ferè magnarum rerum conuerſionibus id euenire prudẽtes obſeruarunt, vt Principum, & magnorum virorum mentes, etiam ab amentia remotæ, tam pericula, quàm etiam iuſta remedia mali, vera ęſtimatione non perpendant. ſed ſpretis, & poſthabitis ſalubriter conſulentium monitis, vecordium, & ſtolidorum conſilijs vtantur; quæ illo in communem perniciem trahunt, vt merito dicendum videatur, cuiuſq; fortunam conſtituerit mutare Deus illius conſilia prius corrumpere. Graue eſt ergo atq; dolendum calamitatibus puniri. ſed illę Ciuitates ad ſummum infælicitatis gradum peruenerunt, quę Diuino lumine deſtitutæ, non cognoſcunt, vnde nam tot publica mala proueniant. Deſcendet ſuper te malum, inquit iratus Dominus apud Eſai. cap. 47. & neſcies unde veniat. Quemadmodum enim, peccatum quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere aliud trahit, ita quando Ciuitates primis afflictionibus non conuertuntur ad Deum, expectent ſecundas mox, & tertias multo grauiores. ualde namq; cupit amantiſsimus noſtri Deus, errantes populos in viã reducere. qui propterea, ſi afflictiones exciperent, ab irato, ſed amante Deo, melius vtiq; cum illis ageretur, vt euidenter patet illo illuſtri exemplo quod recenſet Ribaden. in Tract. de Tribulat. lib. 2. cap. 1. his verbis. Onde auuicinandoſi Attila alla Città di Troia di Ciampagna in Francia, vſcì à riceuerlo San Lupo Veſcouo di eſſa, veſtito in Pontificale con tutto il Clero, & gli

diſſe,

diſſe, chi ſei tù, che turbi la terra, & la diſtruggi? & egli riſpoſe, io ſono il flagello di Dio, all'hora il Santo Veſcouo gli fece aprire le porte dicendo, ſia ben venuto il flagello di Dio, & entrando i ſoldati nella Città gli acciecò Dio, onde vi paſſorno per mezzo ſenza farne danno alcuno, perche, ſe bene Attila era flagello non volſe però Dio, che foſſe flagello per coloro, che lo riceueuano come tale con tanta ſommeſsione. Hoc igitur conſiliũ capiant Chriſtiani Conſiliarij qui cupiunt labentem Patriam conſeruare, vt peccatis expurgatis Eccleſiaſtico more, continuo iratum Deum omnibus pietatis operibus mitigare nitantur; ad ſpẽ erecti, ſublata cauſa miſeriarum, Ciuili fœlicitate ſe fruituros.

Quid exiſtimare debeant Chriſtiani Decuriones de ſuis recte factis in Repub. adminiſtranda.

Quæſtio 31.

NVllum peccati genus magis diſplicet Deo; quam ſuperbia, & propriæ excellentiæ inordinata æſtimatio, vt ſæpe dixi in tractat. de Aduoc. Chriſtiano, præcipuè, in conſolatione ad Aduocatos afflictos, ex D. Bernar. in quodam ſermone ſuper Cant. quidquid enim habet homo laudabile, quod conferri poſsit ad publicam vtilitatem id totum, debet acceptum ferre Diuinæ bonitati, quod ſi aliquid fecerit in adminiſtranda Communitate, vnde, ad eam quid boni, ad ſeipſum vero laus maxima peruenerit, aſſueſcat

omnia recognoſcere ab illo perenni, & inexhauſto fonte, bonorum omnium largitore Deo; & nihil proprio iudicio, ſuæ vè induſtriæ attribuere. Deus fecit hoc, nos verò manus illi vtendas dedimus, dicebat ille; hoc quidem docent etiam ipſi Politici ſcriptores, qui Catholicam veritatem ignorarunt, ut publicorum negotiorum miniſter, debeat eorum bonum exitum attribuere, fœlicitati ſui Principis, uel Reipub. Quò fit ut ſi aliquis natura tardus, & lentus, aliquid egregium geſſerit ſua cunctatione, vel natura paulò vehemens, ſua vehementia, prò Communitate, non debeat aliquo ſuperbiæ motu commoueri, minimè tamen probo, ut optati ſucceſſus laudē, ād cuiuſq; fortunam referat, probè ſciens Diuina prouidentia cuncta gubernari, qua de re, grauiter diſputat Palear. ad Tacit. Obſer. 428. Huius ſalutaris precept memorabile exēplū legi, apud Io. Bap. Lent. Obſeruat. Politic. 282. in qua, inquirit cauſam, cur Reſpub. liberæ, ſint Monarchiæ præferendæ, quia diuturniores: habent enim Reſpub. multiplicia, eaquæ longe diuerſiſsima ingenia, quę uarijs temporum occaſionibus accommodari poſſunt. Principes uerò, cum natura ſua ad certū quendam agendi modum ferantur, eum mutare nequeunt quāuis tēporū diuerſitates id maximè requirant. Quintus Fab. Maximus natura cunctator non iudicio, inquit Lent. temporis beneficio maximā gloriā meruit. cū ſedēdo Pœnorū arma fregiſſet, idem tamen naturam ſuam ſecutus, non fortunam Romanorum, qui vires ſuas recuperauerant, in eadem ſententia perſtitit, & Scipioni,

ni, Africam cum exercitu petenti,contradicebat. cum tamen ea eſſet ſola ratio trahendi ex Italia Annibalem,vt euentus docuit: & Scipio,ſi ea tem peſtate,qua Fabius,fuiſſet Annibali obiectus,pro fectò ſtudio pugnæ,rem Romanam afflixiſſet.quare,Fortuna recte prouidit, ait Lent. vt ille arcendis periculis, hic commodiore rerum ſtatu, pugnando,victoriam obtineret:in quo facto,Fortunæ nomen excludamus, ſummis laudibus Diuinam prouidentiam, & miſericordiam maximam efferentes,quæ ſingulares naturas hominum ſingulis actionibus,tum priuatis,tum publicis ſolet adhibere, id quod ego etiam obſeruaui apud eũ Auctorem, qui redegit in compendium Vitas à Surio conſcriptas, in vita Sancti Barnabę. vbi leguntur hæc verba. Tũc Barnabas, vt Marcum itineris Socium admitteret rogauit, at Paulus contra rogabat vt Marcum, hominem periculorum, & mortis timidum,& fragili adhuc fide prędıtum domi reſidere permitteret. Hinc inter Barnabã, & Paulum pia quædã animorum diſſenſio oborta eſt. prorſus vt alter ab altero ſepararetur, Diuina prouidentia vtiliter id permittente, quæ, Marcum populorum, & gentium multarum paſtorem deſtinabat.neq; enim iracundiæ,aut furoris impulſu ſeparati ſunt,ſed magno pietatis Zelo. cum Paulus accuratam cenſuram Apoſtolicæ profeſsioni congruentem, requireret. Barnabas vero ad humanitatem propenſior,aliquid humanæ imbecillitati putaret tribuendum Quare igitur ſuperbiunt, & vanitatis impetu extolluntur, quidam leuiſsimi Decuriones,qui quaſi noui At-

lantes putant ſe ſuis Rempub. ſuſtinere? O altitudo Diuinæ prouidentiæ: nunc mihi videor intelligere quid ſentiret Propheta Regius illo verſiculo Pſalm. 88 Numquid vanè conſtituiſti omnes filios hominum? minimè certe vanè, imo ſapientiſsime conſtituiſti eorũ natura,& moribus vtens ad Orbem terrarum gubernandum. nemo igitur de Diuinis donis, inſolenter ſibi blandiatur, vt dicit Dominus apud Hierem. cap. 9 Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, non glorietur fortis in fortitudine ſua non glorietur diues in diuitijs ſuis;ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me, quia ego ſum Dominus qui facio miſericordiam,& iudicium,& iuſtitiam in terra, &c.

De iuramento quod ſubire debent electi ad Decurionatum antequam in poſſeſſionem muneris inducantur. Quæſtio 32.

ORdinibus noſtris ita cauetur. Niuno per l'auuenire, che ſia eletto per conſegliero, poſſa intrare nel Conſeglio generale,ò de Signori Deputati,ſe prima, dopò la cõfermatione hauta dal Prencipe, non anderà à preſtar giuramento in mano de' Signori Deputati del meſe, di eſſere fedele ſuddito à ſua M. C. è di venire à tutto ſuo potere,alle Congregationi generali, & particolari, & in eſſe procurare ſempre il ſeruitio del Rè noſtro Signore, è della Patria, &c. Quod iuramentum eſt adeo de forma, ut illo prætermiſſo, nullius ſit momenti,quod agunt Decuriones. Licent. Piſan. lib. 4. cap. 6. nu. 72. de Curia Piſan, Afflic.

Afflic. ad Conſtit. Regni lib. 1. Rub. 67. Auendā de exequend. mandat. Reg. lib. 1. cap 2. in princip. Pariſ. de Put. de Sindic. ver. iuramentum cap. 1. idem Auend. vbi ſup. lib. 1. cap. 19. Angel. in §. iuſiurandum. Auth. vt Iudices ſine quoquo ſuffragio Sola ad Conſtit Sabaud. tit. 1 glo. 2. nu. 10 Montan. de Adminiſtr. vniuerſitat. Pragmat. 2. nu. 338. vbi inquit hoc eſſe generale in omnibus Officialibus: quod ideo commemorandum putaui. vt intelligant nonnulli ex noſtris Decurionibus, quam turpiter, & iniuſte agant, qui, hoc iuramento non ſuſcepto, in poſſeſsionem Conſilij, & aliarum congregationum fuerunt ingreſsi, & omnia publica munera, vt reliqui Conſiliarij paſsim obeunt. illorum enim ſuffragium non iuratorum lege improbatur. Sed non minus iniuſta, & leuis eſt, illorum ratio, qua, huius Sacramēti vinculo ligari noluerunt. quod ſcilicet, eius religione ſoluti, poſsint ad ſui libitum à Conſilijs abſtinere & proprijs vel amicorum commodis in ſeruire; errāt, errāt, proculdubio errant. qua libera, & ingenua repræhenſione mihi ipſi volo ſatiſfacere poſtea quam, admonendo, hortando, rogando, nihil vnquam profecerim, quoniam, dum periurij culpam ſtudent præcauere, multis grauibus peccatis cumulantur. quandoquidem, ordo memoratus, factus, & confirmatus ab habente poteſtatem, reſpiciens bonum publicum, conformis iuri communi, non repugnans iuri Diuino, neque naturali ſeruari debet in foro conſcientiæ, vt ſæpe inculcaui, & nunc addo Iodoc. Damaud in patrocinio pupillorum, cap. 9. nu. 117. Auendan. de

exeq. mandat. Reg. lib. 1. cap. 19. nu. 12. Inſuper ratio publici muneris, quod, quamquam iniurati ſuſceperunt, & ſumma pietas, quam Patrię debēt, exigunt ab eis, quam prędstare poſſunt in conſulendo fidelitatem, & ſollicitudinem, in rebus publicis adminiſtrandis. Qui ergo huiuſq; non iurauerunt, vt iurent, rogo. nec huiuſmodi Diabolica ratiocinatione ſe decipi patiantur. An autem qui iurauit ſe pro viribus promoturum commoda Communitatis, faciat contra iuramentum, ſi impetret à Principe priuilegium aliquod contra publicam vtilitatem, & illo vtatur, videatur in pr̄ c̄to Harman. Piſtor. quęſt. 121. lib. 3. Addo etiam toties committi periurium, quoties non ſeruantur ſtatuta. Alberic. ſuper ſtatut. part. 1. queſt. 26. de quo iuramento, quod ſubeunt Decuriones in principio Officij; hoc inſuper commemorandum puto, quod ſi faciant aliquem contractum damnoſum ipſi Communitati, iurantes non contrauenire in forma, non adſtringuntur hoc vltimo iuramento, quod eſt contrarium primo: quinimo inciderent in periurium contrahendo contra publicam vtilitatem Paul. de Montepico conſ. 44 nu. 30.

Quomodo Chriſtiani Decuriones obedire debeant Principibus ſuis.

Quæſtio 33.

QVoniam Apoſtolico teſtimonio, vt ſæpe dixi, omnis poteſtas eſt à Deo, & qui reſiſtit poteſta-

teſtati, ordinationi Dei reſiſtit, minime in dubiũ reuocari debet, quin Decuriones obedire teneantur Principibus ſuis: vt ex omnium Theologorũ ſententia confirmat Carthuſ. in ſumm. fidei lib. 3. Articul. 170. Sed tantummodo declarandum eſt, qua ratione debeant hanc virtutem Chriſtianæ obedientiæ exercere. Cum igitur duæ ſint facultates animæ rationalis intellectus videlicet, atq; voluntas vtranq; debent Chriſtiani Decuriones, ergà ſui Principis iuſsiones, ineuitabiles ita ſubijcere, vt ex vtraq; actus virtutes meritorios eliciãt. in primis igitur hoc perſuaſum habeant, cor Principis in manu Dei eſſe repoſitum. Prouerb. cap. 21. & quocunq; voluerit, inclinari. adeò vt, quæcunq; ipſe iuſſerit eiuſmodi ſenſu accipienda ſint, vt Deus illa permittat ad ſpiritualem profectum ſubditorum promouendum, nihilq; melius ſibi contingere poſſe à Diuina illa rerum omnium gubernatrice prouidentia: ſi enim Decuriones aliquid publici commodi obediendo percipiant, id totum debent acceptum ferre Diuinæ bonitati; quæ, mente Principis tanquam inſtrumento fuit vſa ad illud communicandum: vbi autem aliquid durum ſenſu aut acerbum ſubeant, Diuinam iuſtitiam in ſe ipſos meditentur maxima miſericordia delinitam; quæ his temporalib⁹ afflictionibus ſtudeat eos ad meliorem frugem reuocare, vt informat populos Chriſtianos Caſtellan. de Officio Regis lib 3. cap. 11 & D. Thom. de Regimin. Princip. lib. 1. cap. 6. præcipit, obediendum eſſe etiam Principibus iniuſtis, propter conſcientiam, & confugiendum eſſe ad remedia

 diuina

diuina. quia Deus vertere ſolet multorum Principum corda in manſuetudinem : multi quidem ſunt,qui Deum, bonorum temporalium largitorem amare profitentur,ſcelerum verò punitorem non agnoſcant : quamobrem , oportet Decuriones,intelligendi vim, Diuinæ prouidentiæ ſubijcere penitus, atq; demittere. Cũ duo ſint inquit grauiſsimus ſcriptor,hominis munera,intelligere,& qui ſine ope Diuina credit fieri poſſe alterutrum, Chriſtianæ pietatis ignarus eſt. qúod ſi fecerint Chriſtiani Decuriones,ipſamet mala , Diuino quodam artificio,optima efficiētur, nec vnquam patiantur eo ſe temeritatis impelli, vt minus modeſtè de Principibus loquantur. præterquam enim quod in Chriſtianam diſciplinam offendunt,imprudenter etiam faciunt,licet ſecreto tanta eſt enim huius ſæculi corruptio vt vnuſquiſque debeat ſe cuſtodire à proximo ſuo , vt præcipit Spiritus ſanctus apud Hierem. cap. 9 & Eccleſiaſt. cap 10 his verbis.In cogitatione tua Regi ne detrahas , & in ſecreto cubiculi ne maledixeris diuiti, quia & aues Cœli portabunt vocem tuam,& qui habent pennas annuntiabunt ſentẽtiam de quo ſanctiſsimo præcepto meminit Camill. Borell. in additio,ad Bellug. in Specul Princip. Rub 1. ver. linguam , & D Baſil. in eo loco Eccleſiaſt. ita ſcribit . Quia contra ſpem interdũ contingit,vt his,quibus maledix imus,nuntietur, & incurramus periculum,immoderatione linguę quod autem ait, volucres Cœli portabunt vocem tuam, & habens pennas annuntiabit ſententiã, hyperbolice intelligendum eſt :. quomodo ſolemus

mus dicere, etiam ipſos parietes, quibus conſcijs loquimur, quæ audiuerunt, non cælaturos, ut autem aliqua ex parte intelligere poſsint Chriſtiani Decuriones, quid exiſtimare debeant de petitionibus Principum in foro cõſcientiæ, hæc pauca ſubijcio ex multis, quæ iuſtis voluminibus quã plures Theologi fuerunt perſecuti: Sciant ergo Deum, O. M. nulla neceſsitate cogente, ſed ſola infinita ſua bonitate, humanum genus condidiſſe vt Diuinis ſuis præceptis vitam conformando, poſſet. eius beatifica viſione aliquando frui. cum verò, infinita hæc hominum multitudo, minime poſſet in ſtudio, & vſu uirtutis, in unum coaleſcere, neq; per ſe optatum finem attingere, neceſſarium fuit illi Reges, atq; Rectores preficere, qui, tanquam Summi Creatoris Vicarij, & Locumtenentes, populos ſibi commendatos ita gubernarent, ut iuſtis legibus in officio continerentur, & hanc uitam mortalem beate, & fœliciter actam, cum ſempiterna, & glorioſa commutarent, ut diſputat D. Thom. de Regim. Princip. cap 1. quò fit ut minime uerum ſit, quod impij Politici, & nonnulli officiales Principum imperiti aliquando dictitant, Principes ipſos habere liberum dominium, & abſolutum in ſubditos ſuos, poſſe q; eorum bonis pro libito ſuæ uoluntatis abuti. propterea quod, ſ boni Principes fuerunt à Deo conſtituti commodo, & beneficio ſubditorum, non autem ſubditi ad Regum voluntates explendas. D. Thom. Opuſc. 21 ad Duciſs. Brabant. Vaſq; in prefatione controuerſ. illuſtr. nu. 102. & cap. 6. nu. 3. lib. 1. ut etiam dicunt Theolog.

mox

mox allegandi. quod ſi uerum foret quod ſuſcepi confutandum minime fuiſſet opus, quod Achab Rex in Sacris Literis. 3. Reg. cap. 12. tantopere elaboraſſet, ut conſequeretur uineam Naboth. neq; tam acriter repræhenderetur, quod ui illam inuaſiſſet. quò exemplo, hanc iniquiſsimam propoſitionem refellit Ribad. de Relig. lib. 2. cap. 9. quamobrem, ne poſſent Principes in populos quicquid uellent, & ut magnam imperij molem ſuſtinerent, quaſdam mutuas obligationes iniecit ſapientiſsimus Deus, Principi, & ſubditis, religioſe adimplendas; quarũ iniuſtam tranſgreſſionem, grauiſsimis pœnis eſt uindicaturus. In primis tenetur Princeps, per idoneos miniſtros iuſtitiam miniſtrare tueri populos ab hoſtium iniurijs, preſtare itinera tuta à Latronibus. quod ultimum ubi non faciat, tenetur in foro conſciẽtiæ ad damna reficiẽda. Archidiac. in cap ſi quis Romipetas. 24. queſt 3. Camill. Borell. de præſtantia Regis Catholici. cap. 11 nu. 56 in ſumma, debet ita ſe gerere erga ſubditos, ut pater erga filios, nihil pretermittens, quod illis prodeſſe poſſit, ad terrenam fœlicitatem aſſequendam, in ordine ad æternam. ſubditi verò, præter ſummam reuerentiam quam ſuis Principibus debent, coguntur etiam illi tantum erogare, quantum ſufficiat ad eorum dignitatem tuendam, & omnia Imperij munera obeunda. quo fundamento, tributa nituntur, gabellæ, & id genus alia, quæ in ærarium Principum à ſubditis inferuntur quod cũ ita ſit, multę concluſiones, è libris Sacrorum Theologorum eliciuntur. Prima eſt Principes eſ-

ſe debere contentos illis annuis erogationibus, quibus poſsint muneri ſuo ſatisfacere melius eſt enim, ut terrenæ facultates creſcant in manibus ſubditorum, quam otioſæ in arcis Principum con ſeruentur. Secũda Principes cauere debere, ab immoderatis, & ſuperuacaneis ſumptibus, & largitionibus, quę nihil habent commune cum bono ſubditorum. Hinc, tertia deducitur, non poſſe eos nimia cupiditate fines proferendi, exercitus colligere damno ſubditorum, ut in alienas ditiones irrumpant. Quarta teneri tantummodo ſub ditos, ad ea, quæ proprij ſtatus in quo degunt, conſeruationem reſpiciunt, quia unuſquiſque onus ſuum portare debet. Quinta, inuigilare debent Chriſtiani Principes, pro eo quanti ſalutem ſuam faciunt, ne ſui Miniſtri locupletentur, præſertim illi, qui Principis pecunias curant, quæ tan to plus deminuũtur, quanto à pluribus tractantur, nemo enim æquo animo conſiderare poteſt, quod Communitates miſerrimam ſuam conditionem aſsidue deplorent, quod Principes ſemper anguſtias ęrarij ſui conquerantur, & quod Miniſtri diteſcant: de quibus memorari ſolet elegantiſsimum Catonis adagium, à multis ſcripto ribus repetitum, priuatorum fures, in carcere, & compedibus marceſcunt Principum uerò in pur pura, & auro triumphant: Quod ſi, iſtis propoſitionibus obſeruatis conijciantur Principes in tãtam neceſsitatem, ut non poſsint alia ratione imminenti periculo occurrere, uel alicui publicę, & magnæ utilitati inſeruire tenentur ſubditi ad no ua onera, duratura tantum cum ipſa neceſsitate

quando uerò illa tranſacta, adhuc noua cauſa ſuperueniret, propter quam, tuta conſcientia poſſet Princeps nouum onus imponere, eadem ratione poterit in iam impoſito perſeuerare, neq; poſſunt Principes, in aliam cauſam inſumere pecunias, ex nouo onere collectas, ratione alicuius neceſsitatis, niſi in eam cauſam, quæ omnia deffuſius explicantur, & comprobãtur per Ludouic. Molin. de iuſtit. & iur. tomo. 3. Diſputat. 667. & Vaſq; in multis locis Controuerſiarum illuſtriũ, & Riba den. ubi ſup. ex quibus, Chriſtiani populi maiore fiducia poſſunt cum ſuis Principibus, qui Deum timeant, ſuam cauſam agere. memini enim me legiſſe apud Iacob. Simanc. de Repub. lib. 9. cap. 24. Themiſtoclem aliquando conantẽ noua onera cuidam Ciuitati imponere, dixiſſe ſe ad eam accedere cum duabus Deis, uidelicet per ſuaſione, & uiolentia, illique nomine Ciuitatis fuiſſe reſponſum eam pariter duas alias Deas ſecum adducere, inopiam, & impotentiam. Sed nos Chriſtiani, adiungimus tertiam Deam videlicet conſcientiam: quam qui læſerint, omnipotenti Deo, dabunt pœnas; Hinc intelligere poſſunt Chriſtiani Conſiliarij, quare nouorum onerum impoſitiones honeſto neceſsitatis nomine ſemper obtegantur quo; nonnulli mali Principes ſuam potius, quam populorum vtilitatem curantes, abuſos fuiſſe teſtantur hiſtorię, & ualde conqueritur Vaſquę. lib. 1. cap. 8. nu 4. Contro. illuſt. his verbis. Ipſi autem hæc omnia peſsime ſeruant. nam, & eorum ditiſsimi, non raro, & neceſſitate minime cogente, uel quam aliunde repara-

re

re poſſunt,id exigunt a pauperibus ſubditis:nec pudet falſis, mentitisq; nominibus teterrimam illam rapinam, iustum ſubſidium appellare: ò quam deceptus erat prudentiſsimus Iureconſultus,qui,in l. ſi quis in fundi vocabulo ff. de leg.1. ſcripſit, rerum vocabula eſſe immutabilia, nec ſuſpicatus fuit poſſe venire tempus,quo, vitia ēt turpiſsima, mentitis virtutum nominibus induerentur: Quare verò onera ſemel impoſita, numquam remittantur. Quare noua ſemper adiungantur: Quare ex cauſa publicæ lætitiæ, homines facinoroſi commodum capiant Decretorum Gratioſorum,boni verò viri, & optimi Ciues aliquo onere non leuentur, nolo inueſtigare, quia nolo errare. illud quidem ſcribit Hippolit. à Collib. in ſuo Conſiliario, debere Principes Chriſtianos, inter cætera,habere vnum Conſiliũ, quod in eam curam tantummodo incumbat, vt videat quà ratione poſsint ſubditi oneribus leuari. Vos ergo hortor, Chriſtiani Decuriones, vt in ſancto timore Dei vitam traducatis. quos Cœleſti promiſsione confirmat Propheta Reg. Pſalm. 24. Anima eius in bonis demorabitur.qui enim timet Deum,ſemper moretur in bonis Nam ſi res bene cedunt, fruitur bono proſperitatis, ſi contra. fruetur bono patientiæ,& ſpe æternæ retributionis, vt ibi declarat Illuſtr. Bellarminus; Deumq; omni virtute colatis qui, ſicut bonorum veſtrorum non eget, ita, incredibili tenetur deſiderio æterna ſua bona vobis communicandi. Interim apud Principes noua onera excogitantes, nullum officij genus, quod adhiberi poſsit præ-

termittatis, id tamē vobis perſonarum velim, nihil vtilius fieri poſſe, quam, vt animis veſtris Eccleſiaſticorum Sacramentorum remedio expurgatis, Diuinum imploretis auxilium, vt Principum veſtrorum menti lumen præferat: quo quid facere poſsint, ac debeant, ſine vllo errore perſpiciantur.

Quod Chriſtianus Decurio debet eſſe valde ſollicitus de commodis pauperum.

Quæſtio 34.

NIhil frequentius in ſacris literis mandat Deus Rectoribus populorum, quam vt pauperum curam gerant. Ne obliuiſcaris pauperum, Pſalm. 32. & alibi ſæpe. nam pauperes facti ſunt à Deo, propter diuites. poterat ſine opera diuitum ſuſtentare pauperes, ſed illorum curam diuitibus commiſit, vt dum eorum miſerentur, miſericordiam à Deo conſequantur Ludol. de Saxon. de vita Chriſti. part. 1. cap. 17. valdeq; neceſſarij ſunt ad Rempub. perficiendam. Si paupertatem abſtuleris, inquit Chriſoſt. ſuper Orat.
» Annæ, omnem vitæ conſeruationem ſuſtuleris vi-
» tamq; noſtrā corruperis, nec nauta, nec guberna-
» tor, nec agricola, nec ædificator, nec textor, aut
» calceamentorum ſutor, aut faber, nec ærarius,
» nec coriarius, piſtoruè, nec alius quis horum erit
» artificum; qui ſi non fuerint, omnia vobis tranſi-
» bunt, nam nunc quidem, quaſi magiſtra quædam
» optima paupertatis neceſsitas, ad opera ſingu-

los

los cōpellit; ſi uerò diuites omnes eſſe deberent, omnes quoq; deberent in otio viuere, & omnia corrumperentur, id quod etiam ſenſit, I. C. in l. 2 ff. de nund. & Montanar. de adminiſtrat. vniuerſit. Pragmat. 5. § 13. nu. 22. Alio inſuper officio funguntur pauperes in Repub Chriſtiana, ſi diuites uellent, in ſtudio ſalutis æternæ proficere. Communes enim præceptores, & calamitatum conſolatores, per orbem terrarum miſit pauperes Deus, inquit Chriſoſtom. Homil. 28. ad Popul. Anthioch. Erutus eſt oculus tibi? at illi duo: Longo morbo laboraſti? at ille incurabili. Ammiſiſti filios, at ille, proprij corporis ſanitatem. Magna mulctatus es mulcta? ſed nondum ad hoc redactus es, ut alterius indigeas. quemadmodū enim natura non deficit in neceſſarijs ita nec ars gubernandi; debet deficere. quo argumento vtitur D. Thom de Regim. Princ. li. 2. c. 15. Planè duo mihi præcæteris perneceſſaria videtur, in quibus procurandis aſsiduè vigilent Chriſtiani Decuriones, nimirum vt quantum in ipſis eſt, annonæ vbertatem, & reliquarum rerum ad uictum pertinentium ſumma cura conſeruent. alterum, ut poſsint pauperes ſuis quotidianis operis, tantum lucri facere, ut ex eo poſsint viuendi ſubſidia comparare ad vbertatis ſtudium hortantur, & excitant Legislatores ipſi, & quotquot ſcriptores, bene regendi præcepta tradiderunt, §. cogitatio, ubi Gloſ. in verbo locupletibus. Auth. ut iudices ſine quoquo ſuffragio. l. 1. §. cura carnis. ff. de officio Præfecti vrbis. Auendan. de exequend. mandat. Reg. part. 1. cap. 19. nu. 33. Sola,

ad Decret. Sabaud de Edictis Annonæ. Gloſ. 1. Montanar. de adminiſtrat. vniuerſitat. Pragmat. 2. nu. 51. Rip. de Remed. præſeruat. contra peſtem, nu. 181. Lancellot. de Decur. nu. 60 Ribad. de Religion. lib. 2. cap. 20. Boter. de Regendo ſtatu, lib. 3 in princip. quo ſanè tempore caritatis annonæ, coguntur diuites bonum operari, vt vtar proprijs verbis Cornel. Benincas. in tractat. de paupertat. Speciali. 5. in iudicijs, nu. 17 & ob id, impoſsibile eſt Decuriones non errare, niſi ſe conuertant ad Deum cum elemoſinis, D. Thom. in loco citato. quamobrem deploranda eſt illorũ Decurionum miſera conditio, qui, auaritia obcæcati, non ſolum illud bonum, ad quod præcepto charitatis compelluntur minime præſtant, verum etiám multa peccata committunt; quæ nec numerando percenſeri, nec pro illum grauitate ſatis explicari poſſunt: enitar tamen quantum potero, ut omnes illa recognoſcant, maximis precibus à Deo petens, ut ſummum illorum odium, inſtillare dignetur; Extát in ſingulis villis certi homines, apud quos, vnuſquiſq; debet veram, & integram ſummam granorum collectorum profiteri; ita iubentibus, qui, huius legis condendæ poteſtatem habent, pleriq; tamen ſunt, ſi fama verùm euulgat, qui numquam totam ſummam denuntiant, maximam eius partem doloſe ſupprimentes, qui propterea, adhuc neſcio, qua ratione excuſari poſsint à culpa mortali, quandoquidem, ut ſæpe dixi, huiuſmodi edicta facta ad publicam vtilitatem obligant Ciues in foro conſcientiæ. Ex granis collectis, debent omnes ea-

dem

dem lege, certam partem in Ciuitatem introducere,ad populum alendum. quæ introductio, ut quotannis ſine fraude, in uſum inducatur, eliguntur publica auctoritate Conſilij generalis nonnulli,ut Aſsiſtant portis Ciuitatis, à quo munere dicuntur Aſsiſtentes,ut grana quæ inuehuntur, inquirant, & uideant ne, in eorum qualitate, aut quantitate aliqua fraus ab introducentibus fiat. hac in re,grauiter ac ſæpe nonnulli peccant. aut enim in ſpecie granorum, aut quantitate mentiuntur. mox, eoſdem Aſsiſtentes uel prece, uel pretio,uel minis corrumpunt,ut è ſuis libris, quos,publica auctoritate conficiunt falſam atteſtationem ſumant, eam granorum quantitatem, quæ Edicto imperatur fuiſſe fideliter inuectã,atq; hac ratione, propriæ, atq; adeò alienæ culpæ reos exiſtimo, à Deo, aliquando ſeuerisſime puniendos. Inuecto tritico, vbi Annonæ prçfecti ſcire velint, an tantum extet,quod ad alimenta populi, uſq; ad nouam meſſem probabiliter ſufficiat, nouo mendacio, & aliquando periurio, animam ſuam Diuinæ iuſtitiæ obſtringunt, quam in horreis reconditum habeant. Cogitur propterea Ciuitas,ad populi inediam propulſandam,& cõſeruandam quietem publicam ab exteris comparare frumentum, quod cariore pretio emptũ, debet etiam carius vendi. Non quieſcit aliquorum auaritia. nam aut adhibita ui compellunt Piſtores, ut eo pretio priuatum triticum emant, quo,& publicum.aut in eum locum, quo iſtud aſſeruatur, furtim immittunt proprium, adminiſtris, & publici horrei cuſtodibus turpiter cor-

ruptis; quos in tam grauia peccata cum impellant, aut alliciant, eiuſdem culpę ſe faciunt ſocios in foro conſcientiæ, quibus diabolicis artibus ſæpe contingit, ut frumentum foris aduectum, in dies recipiat furtiuum incrementum, & pauperes diutius annonæ caritate affligantur. Forum propterea, & viæ publicæ diris imprecationibus perſonant, & iuſtiſsimis querelis hominum miſerorum: quorum ſanguine iſti Ciues auariſsimi de quibus loquor, numquam ſatiantur. O miſericors Deus, qui pro quolibet homunculo ex infima plebecula, iterum ſi opus foret mortē ignominioſam libentiſsime ſubires, vſquequo tantas ac tā graues impietates, in tuos pauperes, quos vnice diligis, conniuendo tollerabis? Audio quid mihi reſpondeas, & pollicearis ore Dauidico Pſalm. 11. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus: credo equidem, te tanquam potentem crapulatum à uino nunc exurgere ab anno 1610. multis namq; calamitatibus illatis, te iratum oſtendis: ita tamen, ut in ira tua non contineas miſericordias tuas: quorum omnium delictorum agmen extremum claudat, prohibita exportatio frumēti extra territorium, grauiſsimis inflictis pœnis, eò enim licentiæ, nonnulli contemptores legum immoderatis cupiditatibus peruenerunt, ut non amplius clandeſtinis, & nocturnis exportationibus ſubtrahant Ciuitati legitimam frumenti quantitatem quam deberent inuehere ad populum ſuſtendendum, ſed interdiù multis plauſtris oneratis huic turpiſsimæ negotiationi operam nauant.

nauant, proprijs granis minimè contenti, aliena comparantes,quod vt impune agere poſsint,magnis muneribus explent atq; corrumpunt illos Officiales, qui, à vetita exportatione granorum, vocantur Capitani del Diuieto, contra Sfroſatori,illosq; in maxima peccata inducunt, quæ ipſiſmet etiam corrumpentibus in Diuino tribunali adſcribuntur. qua de re valde cōqueritur Palear. ad Tacit. Obſeruat. 339. Inquiens, in noſtra Lōbardia Officiales ditari iſtis edictis non autem Ciuitates frumento impleri. quod verè dici poteſt de noſtra Cremona, maximo igitur ſcelere ſe maculant hi Ciues de quibus ago. Sot. de iuſtit. & iur.lib.1. queſt. 6. Artic. 5 Quæ tandem remedia, tot ac tantis malis applicari poterunt? omnes,easq; optimas habemus leges; ad continendos in Officio Ciues, quas,prudentiſsimi Rectores neceſſarias putauerunt. Laqueos igitur inauratos,o Chriſtiani Principes,adhibete Officialibus,qui publicam cauſam,veſtras leges,fidemq; vobis datam auare produnt, atq; turpiter deſerunt. Maximam inſuper vtilitatem perciperent pauperes, ſi in Ciuitatibus erigerentur Montes pietatis ad vſuras euitandas quæ non ſolum,exiguam rem egenorum, verum etiam diuitum facultates exhauriunt. Aliud etiam pietatis Officium debent Chriſtiani Decuriones erga pauperes, vt quotieſcunq; maxima inopia impediti nō poſsint perſoluere. quod debent Communitati, ſint liberandi, & in pace dimittendi. Montanar. vbi ſup §. 13 nu 21. & ego latius comprobaui in tractat. de Aduocat. Chriſt. part.1.queſt. 48.non

enim permittit Chriſtiana charitas,vt inopes debitores in carceribus marceſcant.

Quomodo ſe gerere debeat Chriſtianus Decurio, in controuerſijs de Iuriſdictione Eccleſiaſtica, & ſæculari.

Quæſtio 35.

NIhil frequentius contingit in Communitate adminiſtranda,quam crebræ contentiones de vtraq; Iuriſdictione tuenda, & conſeruanda. quamquam enim in Euangelio præceperit Chriſtus ſeruator noſter, eſſe danda quæ ſunt Cęſaris, Cęſari, quæ ſunt Dei, Deo, mirum eſt dictum tamen, quam auide arripiat omnem occaſionem, humanæ naturæ acerrimus hoſtis Diabolus, ex minimis ſæpe rebus maximas diſcordias excitandi: quæ dum exercentur, diſſoluitur mutuæ charitatis vinculum, ſine quo nulla humana ſocietas ſtare poteſt. non nulla igitur præcepta mecum ipſe collegi, quæ in hunc locum transferenda duxi,vt qui latentes peccatorũ ſcopulos euitare voluerint, ſine periculo poſsint ſuo munere fungi. In primis igitur caueant, ne illorum ſtimulis ſe concitari ſinant, qui Prælatos odio proſequuntur. hi enim peſsime animati, in publicis Conſilijs,quæ leuiſsima ſunt, verbis exagitant, vt alios Decuriones in ſuam ſententiam trahant; ſed animo compoſito, & omni affectione vacuo, rem ipſam ſicut eſt,non vt proponitur,expendãt. omnium enim ſeculorum accurata obſeruatione

com-

cõpertũ eſt magnas rerum conuerſiones à leuibus,licet bonis reſpectibus ortum habuiſſe. Hoc inſuper habeant in mente fixum,nullam vnquam Ciuitatem, nullam Rempub. concidiſſe,eo quod pietatis cauſa, aliquid Eccleſiæ de iure ſuo remiſerit. quinimo eas pręcæteris maxime floruiſſe, quæ Eccleſiaſticas res promouerint, atq; adauxerint. Palear. ad Tacit. Obſeruat. 560 neq; deſunt grauiſsimi ſcriptores, qui de Catholicis Regibus noſtris affirment, inter eorum eximias laudes, hanc præcipue excellere, quod cum Eccleſiaſticis adminiſtris ita ſe ſemper geſſerint,vt potius pie cedere, quam pugnando vincere voluerint. quorum pietatem benigniſsimus Deus,ampliſsimo Orbis terrarum dominio compenſauit. Io. Boter. de Regia Sapien. lib.2 cap.3. qua de re ſuperuacaneum puto exempla conquirere. cum ſufficiat induſtria Ribad. de Religion. Chriſtian. lib.1. cap. 12. 13 & 19. cum Sacerdotibus enim contendere,infœlix ſemper à prudentioribus habitum,obſeruat Io. Baptiſta Lent. Obſeruat. Politicar. cap. 158. huc adduci poteſt egregia hiſtoria,quam ſemel legi, nunc immemor auctoris, de quodam impio tiranno,omnibus ſceleribus contaminato. cui aliquando in mentem venerat,oĩa vaſa ſacra, in ſuos vſus conuertere. non audebat tamen hoc ſe nouo flagitio onerare, niſi ſuorum conſiliariorum explorata ſententia, inter quos, vnus pręcæteris, maxima probitatis opinione eminebat: re igitur ad Conſilium delata, iſte Cõſiliarius, primo ſententiam rogatus, multa dixit ad hoc tirranicum deſiderium comprobandum,

nihil

nihil melius fieri poſſe probans: qui, cum dicendi finem feciſſet, ſolutoq; Conſilio, cæteri omnes admirabundi indignabantur, quod à tanto viro, tam improba ſententia fuiſſet audita. quibus hac ratione ſatisfecit, nihil eſſe, quamobrem, illũ repræhenderent. cum enim tirannus, qui omnes iniuria afficiebat neminem timeret, opus erat, ut hoc conſilio ſacrarum rerum diripiendarum, in Deum incitaretur, vt tanto ſcelere, Diuina Maieſtas prouocata de omnibus eius delictis, quam cito pœnas ſumeret. quibus adiungendum eſt aliud præceptum Chriſtiano Decurioni neceſſarium, vt dum ſtudio publici boni, ſe moueri putat ad huiuſmodi controuerſias ſuſcipiendas, nullo tempore, nullo loco, ea de Prelatis obloquatur, quę Deo diſplicent, & eius Angelis Sanctis improbantur, neq; à modeſtis Ciuibus, ſine ſumma animi indignatione poſſunt audiri. ego quidem, ſi caſus accideret, huiuſmodi homunciones, ex hominum conſortio, in vltimas terras, ſi poſſem amandarem. qui, lingua maledica, & petulante, Prælatorum mores, & vitam inſectantur. ad quod turpiſsimum vitium deteſtandum, ſatis foret, è doctrinis Theologorum repetere veras propoſitiones, quibus, ad Eccleſiaſticæ dignitatis reconciliationem, & reſtitutionem famæ, in hac ſpecie perdifficilem, adſtringuntur. eaq; memorare poſſem, quę congeſsit Boter. in loco citato, Titulo, honor Sacerdotibus habitus, lib. 2. cap. 5. & Ribaden. lib. 1. cap. 35. quod ſi non aſſueſcant coercere linguam quomodo cor eorum ad amandos Prælatos diſponetur? vt inquit Chriſoſtom.

in Homil. de Dauid, & Saul, *ſed cum mihi conſi*lium ſit illos erudire, qui moribus deprauatis, vana quadam generis nobilitate ſuperbiunt, eos reicio ad illos ſcriptores, qui, de officio Equitum hoc eſt, Del debito di Caualliero, diſſeruerunt, in cuius libri parte prima, permultis rationibus, & exemplis, virorum in omni laude clariſsimorum oſtendit, valde alienum eſſe ab officio eorum qui, nobilitatem veram, & Ciuilem modeſtiam profitentur, maledictis carpere Sacerdotes, & iniuria afficere; nullus eſt enim in humana ſocietate, qui illos dignitate antecedat. qua de re, ſi quis Seraphicum teſtimonium cuperet, repetat ea, quæ de Franciſco Sancto, grauiſsimi Scriptores memoriæ prodiderunt. cui, ſi Angelus, & Sacerdos, ſimul obuij facti fuiſſent, prius hunc venerandũ, & colendum religioſè arbitrabatur. quemadmodum verò ea eſt in Repub. nobilitatis præcipue conditio, ut inter alios ciuium ordines, multis nominibus emineat, ita eius peccata, eò grauiora ſunt, & à iuſtiſsimo Deo ſeuerius vindicanda, quò ſuorum vitiorum exemplis infirmorum hominum animos inficit atq; corrumpit. ſæpius namq; peccata à nobilitate in plebem dimanare ſolent, quam è contra, vt prudentiſsime conſiderauit Hieron. Oſor. lib. 1. de nobilitat. Quamobrem ſi nobiles, de Prælatis, & Cenſuris Eccleſiaſticis minus modeſte oblocuti fuerint, uix fieri poteſt, ut eſt plebe homines audaciores, & inſolentiores, factis impudentibus, poteſtatem Eccleſiaſticam non ludificentur atq; conculcent. ad quem impietatis gradum, vbi Ciuitas peruenerit,

rit, minime pati ſolet, iuſtiſsimus vindex ſcelerũ Deus, ut hæc delicta impunita remaneant. quamquam enim, Carholica nos fide eruditi credere cogamur, illam Diuinam Maieſtatem, eſſe æque miſericordem, & iuſtam, neq; ſtatim de peccatis pœnas ſumere, nihilominus, quædam ſunt aliquãdo in Ciuitatibus publica delicta de quibus pœnam repetit ſine mora, ad puſillos confirmandos; talibusq; animaduerſionibus uti ſolet, ut omnes conſtantiſsime credant, & fateantur omnia publica, & priuata incommoda, in pœnam Eccleſiaſticæ dignitatis violatæ, à Deo irato prouenire. Hęc ſumma ſit, vt quotieſcunq; Chriſtiani Conſiliarij coacti fuerint aliquid agere, ad iuriſdictionem ſæcularem conſeruandam ita ſe gerant, ne quid committant, quod Chriſtianæ diſciplinæ aduerſetur.

De Decurione nimis facili ad promittendum.

Quæſtio 36.

OBſtupeſco, & animo valde commoueor, pro eo quanti facio, Diuinam Maieſtatem omnibus Chriſtianis uirtutibus coli, cum ſæpe videam, & audiam, aliquos Decuriones, viros alioquin graues, nimis effuſo ſermone, multis peccatis animam ſuam onerare. cum enim ab aliquo rogantur, qui in Ordinem admitti cupiat, uel ad aliquod publicum officium promoueri, continuo, fidem ſuam adſtringunt illi ad ſuffragandũ. quos amantiſsime rogo, vt hæc Chriſtiana præ-

cepta mecum recognoſcant. Aut enim, promittentes, habeat animum ſe obligandi, & ſoluendi fidem datam, Aut non. hoc poſtremo caſu, peccant ficte promittendo; pertinet enim ad Chriſtianam veritatem, ut, animus cum lingua conueniat: Nauarr. in Manual. cap. 18. num. 6. ver. quamuis peccet, ſignificando habere animũ ſe obligandi, quem non habet. Michael Salon. ad D. Thom. 2 2. poſt queſt. 61. queſt. 5. de Dominio rerum. ſub Rub. An ficta promiſsio obliget in conſcientia. Silueſt. ver. Pactum, nu. 4. Summ. Roſell. ver. promiſsio. col. 3 Clauis Reg. lib. 6. cap. 6. nu. 17 ubi addit, hunc Decurionem ficte promittentem, agere debere pœnitentiam, de peccato ſimulationis. quod tanto grauius efficeretur, ſi, ut ſæpe accidit, non ſolum ſuffragium proprium fuiſſet pollicitus, uerum etiam ſe daturum operam, vt multi alij Decuriones eius promittentis amici, in idem conuenirent: hac enim ſpe candidatus illectus, rogat, ambit, præhenſat, ſed tandem deluditur. hinc odia, ſimultates, & quandoq; inimicitiæ apertæ originem ducunt, cum æquo animo ferre non poſsit, eiuſmodi ludificationem de qua, ſuo poſtea ſenſu quiſq; loquitur: Si verò habuit animum ſe obligandi, & ſecum ipſe exiſtimaret, rogantem, non eſſe ad id quod petit, idoneum vel ſciret alium nominandum, magis aptum ac dignum alio genere culpæ macularetur Clauis Reg. ubi ſup. ver. tertio debet eſſe rei licitæ. Caueat ergo ab his promiſsionibus inconſultis, ſed verbis generalibus, quæ, eius conſcientiam periculo non expo-

nant

nant, amico roganti conetur ſatisfacere, Enitar, quantum potero, ut ſibi ſeruiam, cuius cauſa, omnia volo ac debeo: cum enim, eiuſmodi reſpõſione promittat tantummodo, quę poteſt, utiq; eum ſenſum animo concipere, ut ad id teneri uelit, quæ, poterit honeſtè, ac iuſte præſtare, l. nepos proculo, ff. de ver. ſignificat, nec eius cauſa aliud cupiat, aut ſe debere profiteatur quam quod facere ſibi licet tuta conſcientia, quod reſpondendi genus ſummopere quoq; probauit Guicciard. Admonit Ciuili 59. ubi & ipſe conſiderat turpiſſimum eſſe hominem Ciuilem adeò eſſe facilem ad promittendum, ſi ut poſtea cogatur officium deſerere; & fidem fallere, vt enim facta admiramur, uerba approbamus, ſic multo clariores, & chariores euadunt, qui; re ipſa plura præſtiterũt, quem verbis ſunt polliciti. hinc fit ut maiora ſemper de homine leni, & modeſto, taccite nobis promittamus, quam de his, qui loquaces ſunt, & animo hilariore, hos enim illico ſuſpicamur, loquentiæ quam ſapientiæ plus habere. inquit Io. Baptiſta Lentius Obſeruat. Politic 36 & 297. & quamquam, ut plurimum, iſtæ promiſsiones non attingant gradum culpæ mortalis maxima tamẽ reprænhenſione mihi digni videntur, qui, ſpecie vanæ prudentiæ, offendant Chriſtum Seruatorem noſtrum, nec eius ſummam atq; incorruptam iuſtitiam perhorreſcant, qui, de his peccatis maximam quandoq; pœnam eſt repetiturus: mihi queſo reſpondeant, ſi Catholicus Rex noſter, peculiari edicto caueret, ut, Decuriones ita peccantes, in horridum carcerem per triduum conijcerentur,

rentur,

rentur, in eoſq; ſeuerè, Miniſtri Regij animaduer terent, fatui profectò eſſent, atq; inſipientes hi Conſiliarij, qui, ut amico roganti blandirentur, huic pœnę ſe obnoxios facerent. At qui, effugere non poterunt acerbiora tormenta ignis purgatorij; quem, ſi meditando ponderarent, vehemen tiore ſtudio incenderentur, Chriſtianæ perfectionis aſſequendæ: Inſuper illos admoneo quod ſi alicui uiro idoneo, ſuffragium promiſerint, mox, priuato reſpectu, minus dignum elegerint, non ſolum tenentur in foro conſcientię propter malam electionem, ſed etiam ob non præſtitam fidem, quam, promiſsione ſua obligauerunt.

An & quando debeat Chriſtianus Decurio conſentire mutationi legum, uel ſtatutorum.

Quæſtio 37.

TAnta eſt maieſtas, & auctoritas iuſtarum legum, quas, ad publicum bonum legislator promulgauit, & ab inueterata ac diuturna obſeruatione tantum accipiunt robur atq; firmamentum, ut ſola, & ſimplex earum alteratio, de ſui natura, aliquid detrimenti ſemper afferat bono cõmuni. quia interumpitur, illarum vſus, & conſuetudo D. Thom. 1. 2. queſt. 97 Artic. 2. ver. habet autem ipſa legis mutatio, quantum in ſe eſt, detrimentum quoddam communis ſalutis, quia ad obſeruantiam legum, plurimum ualet conſue tudo, &c. Cuius traditionem comprobauit Sot. de iuſt. & iur. lib. 1. queſt. 7. Artic. 1. quamobrem

debet

debet Chriſtianus Conſiliarius, quantum ſibi licebit per Diuinam gratiam, ſumma prudentia, & acerrimo iudicio, æqua lance ponderare, numquid aliqua, & eiuſmodi ratio proponatur, qua illud publicum damnum, quod ex inobſeruantia legis ad Ciuitatem redundet, poſsit tãto bono communi compenſari, nec enim, tantum, legum mutatio profuerit, quantum conſuetudo nõ parendi nocuerit. Philoſ lib. 2. Politicor. cap. 6. Simanc. de Reſpub. lib 4. cap. 11. illud enim ſibi debet eſſe perſuaſum, tanquam tutiſsimum præceptum Reipub. gerendę, omnes iuſtas leges, in dubio eſſe obſeruandas, niſi euidentiſsima vtilitas Patriæ, uel ineuitabilis neceſsitas aliud ſuadeat. D Thom. & Sot. vbi ſup. qui eſt, noſtris fontibus iuris Ciuilis, hauriunt illam celebrem propoſitionem, in nouis rebus conſtituendis, euidens debet eſſe utilitas, ut ab eo iure recedatur quod diù æquum viſum eſt. l. in rebus nouis. ff. de conſtit. princip. Lips. Polit. lib. 4. cap. 9. quod equidem ſummopere cupio ab his Communitatibus conſiderari, in quibus, omnes earum leges, priuata cupiditate Decurionum uiolantur uſq; adeo, ut Ordo videatur eſſe non ſeruare ordinem eorum enim qui moderandis populis præfecti ſunt una omnium hæc eſt ratio, legibus ut pareãt. Iouian. Pontan. in libello, de obedient. fateor quidem multa nonnunquam occurrere, quæ ipſius Legislatoris animum, ſi viueret, à rigore legis deflectere poſſent, ſed ut dixi, ſummo iudicio opus eſt, ne bonum publicum, priuatis reſpectibus corrumpatur. plus enim habent momenti,

præſer-

præſertim apud Decuriones illiteratos, exempla quam ratio, ad publica conſilia capienda. Lottin. admonit. Ciuil. 144 & diutius durant exempla quam mores, vt dicebat ille apud Palear. ad Cornel. Tacit. Obſeruat. 289 quò fit, vt dum pleriq; ſibi licere putent, quod alij, diuerſa, & meliore ratione fuerunt conſecuti, pernitioſis tandem deliberationibus, totus Reipub. ſtatus euertitur. qua occaſione ſummopere repræhendo illos Decuriones, qui, ut aliquibus Officialibus morem gerant, diſpenſando tollunt, atq; paulatim in deſuetudinem redigunt ſtatuta Ciuitatis, falſa ratione publicæ vtilitatis decepti, quod ſcilicet, illi Magiſtratus, poſsint rebus Communitatis multum aliquando prodeſſe: non nego quidem, quin hac de cauſa, & multis alijs debeant Conſiliarij Chriſtiani, beneuolentiam Officialium Ciuitati Comparare, ſed id contendo, iuſtas eius leges à maioribus maxima prudentia conſcriptas, non eſſe hoc obtentu obliterandas. nō enim omnia pro omnibus ad merita compenſanda dari debent. Lottin. Admo. 397. Si igitur Ciuitas aliquod grati animi ſignum vult illis exhibere, conſeruet Patrias leges, auro verò aut argento, merita in ſeipſam proſequatur. nam & Officiales poſtea moriuntur, Ciuitates autem permanēt, & peſsimis exemplis gubernatæ, in peius prolabuntur. quæ quidem mala exempla, ſunt extirpanda, non autem multiplicanda Bartolom. Philip. de Conſil. cap. 16. Palear. ad Tacit. Obſeruat. 347 quod Ciuile monitum, mirifice confirmatur auctoritate cuiuſdam Romani Im-

peratoris, cuius Aulici ambitione tentauerant in Senatu, vt quædam dignitas in eius filium cōferretur, qui per ætatem, obſtantibus legibus, promoueri non poterat, & collectis de more ſuffragijs fuerat excluſus; quod vbi reſciuit Imperator, ſeruandarum legum ſtudioſiſsimus, gratias Senatui habuit, quod publicas leges, & reſpectū filij, ſuffragiorum æquilibrio ſubieciſſet; quod tamen leges præponderaſſent, ſummopere commendauit, ut refert Pet. Aerod. de rebus iudicatis in Pandec. cuius proprium locum memoria non teneo: quod ergo ſcripſit Philoſophus lib. 1. Retor. pauca reſeruanda eſſe arbitrio iudicantis & D.Thom. 1 2. queſt. 95. Artic. 1. Simānc. de Repub. lib 4. cap. 18. poteſt adduci ad id probandum de quo diſputo, ut minus quam ſit poſsibile debeat Chriſtianus Decurio decedere à diſpoſitione legis. melius eſt enim vt malis legibus obſeruatis, præſit bonus moderator, quam bonis, malus, qui, illis abutatur. Simanc. vbi ſup. lib. 5. cap. 1. in fin & lib. 4. cap. 11. Ex Thucid. lib. 3. in Orat. Cleon. Multò melior eſt inquit, ſtatus Ciuitatis, quæ licet deterioribus, firmis tamen legibus vtitur, quam illius, quæ bonis quidem, ſed quæ non obſeruentur, & alibi in hanc ſententiam dixit grauiſsimus ſcriptor, eos hominum tutiſsime agere, qui, præſentibus legibus etiam ſi deteriores ſint, minimum variantes Rempub. adminiſtrant. Lipſ. Politicor. lib. 4. cap. 9. In omni enim conſultatione inquit Lent. Obſeruat. Polit. cap. 31. Vetera, & vſitata, nouis ac recentibus,

bus,

bus,quieta, inquietis,& multum negotij habituris præferenda ſunt.

De adulatione à Chriſtianis Decurionibus euitanda.

Quæſtio 38.

PAulo occultius eſt hoc peccati genus quod in præſenti queſtione ſuſcepi explanandum, atq; repræhendendum; quamobrem,ut in poſterum Conſiliarij cautiores efficiantur præmitto, adulationem eſſe quemdam exceſſum in laude tribuenda. D. Thom 2. 2. queſt. 115. Artic. 1. & habet aliquando in ſe culpam mortalem, veluti ſi quis laudetur de peccato mortali. Omnes Summiſtę,in Ver Adulatio. in quod vitium,ipſęmet Communitates male gubernatę ſępe ſolent incidere Caſtellan. de Officio Regis lib. 1.cap.51 Sed in ea tantum occaſione explicanda immorari conſtitui, quando, Magiſtratibus Officio functis proponitur in Conſilijs Ciuitatum, decernēdas eſſe litteras publicas in teſtimonium bene acti Officij: quod quidem ſummopere probo,vbi agatur de illis Magiſtratibus commendandis, qui virtute,& innocentia, maximam ſibi laudem pepererunt; hoc enim eſt debitum honoris teſtimonium, quo, Princeps erga ſuos Officiales delectari ſolet. Caſſan. in Catalog. glor. mund. in princip. Conſiderat 33. Sed mihi ſtomacum mouent,& maxima me indignatione exagitant, quidam Officiales,ad peccata populorum vindican-

ſta, à Deo permiſsi, auaritia inſatiabili, & humanæ gratiæ cupiditate flagrantiſsimi, uſu forenſi rudes, & literis ne mediocriter quidem inſtructi, cum, & ipſi audent, ſuæ laudis publica teſtimonia efflagitare: quibus vt morem gerant Decuriones, publico Decreto has literas decernunt: quę ſtatim perhonorificis verbis, & grauiſsimis ſententijs conficiuntur, ad heroicam cuiuſuis virtutem teſtificandam vndequaq; aptiſsimis: nemo enim plus æquo debet laudari. Caſſan. vbi ſup. part. 1. Conſiderat. 49. quibus equidem publicis teſtimonijs pecunia duce, ad alios honoris gradus, aditum ſibi ſtruere conantur. Ego profectò numquam in eam ſententiam adduci potui, ut hunc probarem peſsimum morem Decurionum, qui ſine vllo diſcrimine, huiuſmodi atteſtationibus ſuffragantur, quibus, publico bono tantum detrimenti infertur: qua in re, vſurpare poſſum, quod de Conſiliario adulatore iocatus fuit quidam magnus Princeps, aut enim dixit tu es magnus adulator, aut ego, Angelus: Bartolom. Philip. de Conſiliar. cap 3. nu. 2. ita, aut Decuriones ſunt adulatores, aut omnes Officiales Angeli. vbi igitur de his literis concedendis in Conſilio agatur, prius curent Chriſtiani Conſiliarij Siſcitari ab Aduocatis, & Cauſidicis ſtudioſis publici boni, qui veritatem colant quid in cauſis pertractandis notauerint de illo Officiali, cuius deſiderium fuerit expoſitum, quia, nemo eſt, qui omnia Magiſtratuum malefacta, melius nouerit, quam, qui in foro aſsidue cum clientibus verſantur: eos enim, permittente Deo, tandem iniuſtos

præ-

prædicant, quos, & faciunt, ut de malis Principibus dixit Plin. in Panegirico, & Palear. ad Tacit. obſeruat. 395.

Qua lance ponderanda ſint conſilia, & actiones Chriſtiani Decuriones.

Quæſtio 39.

NVlla re magis commoueor, quam cum audio quoſdam imperitos homines, temere repræhendentes conſilia prudentum Decurionū, illa ratione quod, malum habuerint euentum. nō enim debent, ab eueutu, ſed ratione ęſtimari. Careat ſucceſsibus opto, inquit Ouid. quiſquis ab euentu facta notanda putat: quod præceptū recenſuit quoq; inter ſuas Politic. Obſeruat. Io. Baptiſta Lentius. cap. 243. ubi commemorat reſponſum Phocionis grauiſsimi viri, cuius optimū conſilium cum repudiaſſent Athenienſes, & nihilominus rem proſpere geſsiſſent, interrogatus, quid ſibi videretur, dixit, illorum quidem fœlicius, ſuum autem melius fuiſſe, & cap. 345. acriter inuehitur, in vulgus imperitum, qui, ſolum euentum, rerum humanarū conſiderat, & Guicciard. Admonit. Ciuili. cap. 119. quamobrem Cartaginenſes, ſeuere animadnertebant in eos belli Duces, qui inconſulte pugnauerant licet proſpere atq; fœliciter: nec diſsimile fuit vnius Principis iudicium, qui duobus mandatum dederat, cuiuſdam amici ſui conquirendi, quorum vnus, maxima diligentia, & ſummo labore vſus integrū

diem fruſtra cōſumpſerat.alter verò,ludo, & aleā occupatus, cum domum rediret, forte incidit in eum, quem querere debuerat, & ad Principem adduxit. qui propterea, non æſtimans bonum, ſed fortuitum euentum,maximis muneribus donauit eum, qui nihil ommiſit ut mandata obiret, alio grauiter reprehenſo, & punito,vt refert Bartolom. Philipp. in tractat. de Conſiliar. cap. 5. nu.4.in quo argumento latiſsime uerſatur Scip. Ammirat. ad Cornel. Tacit. lib.3. c. 7. id igitur curent Chriſtiani Conſiliarij,ut in primis querāt publicum bonum, cum Diuina gloria coniunctum; deinde bona media, ut illud conſequantur:errant enim inquit Senec. Epiſtol.71.conſilia noſtra, quia non habent quo dirigantur,& ignoranti quem portum petat, nullus ſuus ventus eſt & ſummi boni finem ignoramus,quibus prouiſis, relinquant ac dimmittant exitum ſuorum conſiliorum Diuinę Maieſtati,ut etiam admonet Tholoſan. de Repub. lib.24. cap 8.nu.8.

Quod Chriſtiani Decuriones,in eam curam incumbere debent, ut pueri bene educentur.

Quæſtio 40.

TRia ſunt, quæ, non permittunt bonum publicum in aliqua Cōmunitate durare quorum primum,prouenit ab ipſa natura,nam bonū Ciuitatis non debet inſtitui ad vnum tantum tempus,ſed ut ſit quodammodo. perpetuum homines autem cum ſint mortales, non poſſunt in perpe-

perpetuum durare, neq; dum viuunt, ſemper ſunt in eodem vigore. quia multis variationibus humana vita ſubijcitur, & ſic non ſunt homines ad eadem officia peragenda, per totam vitam idonei Alterum impedimentum boni publici conſeruandi, prouenit ab ipſa humana voluntate deprauata. Poſtremum, ab externa ui, & incurſu hoſtium, ut formaliter inquit D. Thom. de Regim. Princip. lib 1. cap. ult. cuius verba deſcripſi. Quamobrem quoad primum impedimentum remouendum, id præcipue curare debent, qui Rēpub. gerunt, vt, quemadmodum Diuina prouidentia, in rebus corruptibilibus, quę ęędem numero conſeruari non poſſunt, conſtitutum eſt, vt per continuam generationem ſuccedant alia in locum aliorum, & ita conſeruetur integritas vniuerſi, ita, per Gubernatores Ciuitatum, conſeruādum eſt bonum illarum, ſollicite curando vt alij ſuccedant æque boni, in locum deficientium D. Thom vbi ſup. quæ ſanè ſubrogatio non poteſt fieri, niſi prius præcedat optima puerorum educatio, quæ appellatur, vniuerſæ Reipub. fundamentum, quamobrem nullus eſt, qui Reipub. rectæ inſtituendæ præcepta tradiderit, qui, hanc puerorum optimam diſcipliuam, grauiſsime nō commendauerit, vt patet ex Iacob Simanc. de Repub lib. 9. cap. 25. qui hæc verba refert. nu. 7. Puerorum ingegnia tanquam agri, ex quibus Reſpub. ſuos omnes fructus eſt perceptura diligentiſsime colantur, & rebus optimis ferantur, & nu. 8 Curare Rex debet, ut in Regno ſuo vigeant ſtudia literarum, vt ibi ſint multi ſapien-

tes, & induſtrij, ne ſubditi ſui ſint ignorantiæ tenebris inuoluti, addo etiam, ut ex Theologis, Iuriſperitis, Medicis, & alijs doctis viris, plurima, & maxima commoda proueniant uniuerſæ Reipub. in quam ſententiam, ita quoq; ſcripſit Laurent. Grimal. de Optim. Senator. lib. 1. Ergo, qui rectè Rempub. gubernare volunt, fauere plurimum debent educationi atq; inſtitutioni puerorum. quia filij male educati ſummi hoſtes patribus ſunt, in ſenectute: tanti igitur ſit bona diſciplina puerorum, vt Vincent. Caſtellan. lib. 3 de Officio Regis. cap. 26. præceperit, creandum eſſe in Repub. magiſtratum, qui, puerorum & adoloſcentum curam ſuſcipiat, vt uel inuitis parentibus illos compellat eas artes addiſcere, ad quas, vnumquemq; natura procliuem feciſſe videatur. namq. ut tradit Plat. lib. 7. de legib. magis Reipub. nati ſumus quam parentibus. quare magis eſt habenda ratio communis commodi, quam patrum voluntatis: qua de re, citatus auctor copioſius diſſerit, ſecutus etiam Ariſtot. lib. 7. Politicor. Hinc ergo fit, ut, cum ſingulari Omnipotentis Dei beneficio, in Ciuitatem noſtram, quę olim omnium bonarum artium, in tota inſubria erat copioſum emporium, nunc introductũ ſit Venerandum Collegium Religioſiſsimæ ſocietatis Ieſu, quod præcipuo ſuo inſtituto, erudiendis adoloſcentibus operam nauat, debent noſtri Decuriones, omnibus tum publicis, tum priuatis officijs, hos Patres colere, qui, diu noctuq; nihil aliud cogitant, aut faciunt, quam vt pueri, ſuæ fidei à parentibus commiſsi, non ſolum

optimis

optimis diſciplinis verum etiam pietate imbuatur,& literarum ſtudia, penè extincta refloreant vtinam, Cremona mea, Diuinam in te benignitatem,hoc maximo beneficio, & illuſtri teſtimonio declaratam, quanti debes, æſtimares. multò melius profectò tecum ageretur. Vos autem Venerandi Patres, pergite in ueſtrorum laborum curſu non grauitatem ſuſcepti muneris, non improborum hominum leuitatem, in ſeipſa punitam, & à Deo ſeuerius vindicandam, formidantes. Deus, æternæ vobis gloriæ præmium pollicetur,omnes verò boni Ciues, promeritas laudes, in tempore atq; loco ſtudioſiſsime præſtant.

Quæ conſideranda ſint à Decurione Chriſtiano, vbi agatur de confirmatione Officialium.

Quæſtio 41.

MVlta deſiderantur, ad perfectum Officialē conſtituendum,ſed illud præcipue, ut officioſis commendationibus amicorum non capiatur,neq; gratia flectatur; neq; contra Rempub. neq: contra iuſiurandum,amici ſuis cauſa,uir bonus faciet, inquit Cicer lib. 3. Officior. ponit enim perſonam amici, cum induit Iudicis. nam ſi omnia facienda ſunt, quæ amici uelint, non amicitie, tales, ſed coniurationes putandæ ſunt, Idem in Lelio, cum ſimilibus, doctiſsimorum uirorum ſententijs, quæ facile cumulari poſſent: quamobrem, non ſolum iure communi cautum fuit, de magiſtratibus non continuandis, l. 1. C. de

de honor: non continuand. Io. Montan in l. fœmine §. item impulberes. ff. de reg. iur. Natt. in conſ. 58. verum etiam ſtatutis Ciuitatum, ut illi, qui uno biennio fuerunt in Magiſtratu, non poſſint confirmari, ſed vacare debeant per quinquennium, ut apud nos legitur in volumine noſtri iuris municipalis; quod interuallum quinquennale, quomodo ſit intelligendum, videatur Crau. conſ. 459. nu. 9. Cogitauerunt profectò maiores noſtri, primo biennio, facile poſſe officialem, multorum ſibi ciuium amicitias adiungere. quarum reſpectus, plurimum officere ſolet iuſtitię exercendæ, ſed magna eſt aliquando auaritia, & ambitio non nullorum, qui, vt altero bien nio confirmari poſsint, omnium Decurionum animos omnibus artibus ſibi conciliare ſtudent, & ſæpe deducitur in conſultationem, propoſitæ queſtionis argumentum. in qua, illud credant mihi ſæpe experto, in publicis conſilijs neminem reperiri, qui, improbas Magiſtratuum actiones in publico ſuggeſtu ubi Decuriones ſententias dicunt, commemorare audeat, quando ſcilicet, contingat agi de illis confirmandis; uerentur enim, illum offendere, qui futuro biennio, poſsit in Conſiliarios Criminalem aut ciuilem iuriſdictionem exercere, uſu certè compertũ eſt, omnes ea facile dicere, quibus placere poſsint. non ergo ſe decipi patiatur Chriſtianus Decurio, blanda oratione cuiuſuis qui ſententiam dicat. hæc namq; publica incommoda, quæ in Magiſtratibus obeundis, ab officialibus priuatæ gratiæ cupidis in dies contiungunt, eo grauiora, & periculoſiora

loſiora ſunt, quo magis occulta, & nomine prudentiæ honeſtata: quod enim vnus officialis, auidus gratiæ a primario Ciue ineundæ, non ſubijciat torturę aliquem eius famulum, qui turpiſsimum facinus poſſet vere manifeſtare, quis Decurio, niſi in foro verſatus poterit cognoſcere? quis conſiliarius audebit in conſilio commemorare? quod Index cauſarum ciuilium vt amico gratificetur, protrahat cauſam, vt aliquam partẽ impatientẽ tedij forenſis, uel immoderatis expẽſis afflictam inducat ad iniquam tranſactionem, quis obijcere auſus fuerit? id ergo erit tutiſsimũ conſiliũ, ut ſeruẽtur ſtatuta Patrie, quæ, ut eiuſmodi malis occurratur, ſumma prudentia maiorum edita fuerunt, nec unquam immutanda, aut diſpenſanda forent, niſi, ob euidentiſsimam vtilitatem, & publici boni maximum augmentum, veluti ſi de eo officiali ageretur, qui, nullum haberet parem virtute, & bonitate, ſi enim pernicioſis exemplis, leges Patriæ non cuſtodiantur, ſæpe permittit Deus, publicorum peccatorum iuſtiſſimus vindex, ut Ciuitati præſint improbiſsimi Magiſtratus, qui, delicta relinquant impunita, uel ciuium facultates iniuſtis ſententijs auferãt à veris dominis, uel iuſtis petitoribus non adiudicẽt, tanti igitur intereſſe putant legiſlatores noſtri, ad Ciuitatem bene gubernandam, & ad publicã Ciuium vtilitatem non confirmari officiales ultra tempus legitimum, ut maior pars Decurionũ non ſufficiat, ſed requiratur omnium concurſus, & vno contradicente non poſsint confirmari. §. Si vero uer. nullo reluctante. Auth. de defenſor.
Ciui-

Ciuitat. Iacob. de Sancto Georg. in l. iuriſgentium. §. final. nu. 14 ff. de pac. Vincent. Franc. deciſ. 2 nu. 21. part. 1. Sigiſmond. Loffred. conſ. 51. nu. 11. Natt. in conſ 58. infin. vbi alios allegant. Lancellot. de Decurio, nu. 50. in 4. Limit. Crauett. in d. conſ. 459. in fin. Vincent. Franc. deciſ. 264. An autem iure communi, officiales qui geſsit vnum officium in aliqua ciuitate, poſſit in eadem, ad aliud promoueri. videatur Bal. in l. non dubium verſ. ſed Petr. addit alia membra. C. de legibus.

Si Decurio iuſſus uenire ad Conſilium ſub pœna pecuniaria, venerit Conſilio inchoato, an euitet pœnam.

Quæſtio 42.

APud nos, ſolent Prętores noſtri pręceptis pœnalibus iubere Decurionibus vt veniāt ad Conſiliū, & quamquam, nulla vnquam fuerit exacta pœna, puto tamen, in vniuerſum ad alios qui, ſuorum Ordinum ſunt obſeruantiores, pertinere poſſe iſtius queſtionis veram cognitionē, quam proponit Alberic. in l. diuus, nu. 12. uer. & bene facit iſta lex, ff. de in integ reſtitut. & definiuit, ut Conſiliarius non poſsit condennari, quādo venerit priuſquam aliquid decerneretur. quia res adhuc dicitur integra, neq; poteſt de contemptu inſimulari, nam ex eo quod ſequitur, præſumitur qualis fuerit animus præcedens, ut in indiuiduo de Epiſcopo veniente ad Conſilium incœptum

cœptum, ſcriptum reliquit Archidiac. in cap. ſi Epiſcopus, 18. Diſtinctio,& idem Alberic. queſt. 227. part.2. Statutor.

An ad excuſandos Decuriones, qui non venerunt, ſufficiat completum fuiſſe numerum legitimum ad Conſilia capienda.

Quæſtio 43.

EX Superiore queſtione occaſionem ſumo, iſtam proponendi, in qua illud me quandoque fluctuare faciebat, quod,quando lex pænalis fuit promulgata ad certum finem,non committitur pęna ex actu,qui eiuſmodi fini minime aduerſetur. Abb. in cap. quoniam contra,nu.6.vbi Felin. nu.11. de probatio. Bertazol.conſ.criminal. 74. nu.9. lib.1. quod etiam verum eſt in foro conſcientiæ Curt.iun.in conſ. 12. col.3.verſ.ſed quod fortius,Tiraq; in tractat.ceſſante cauſa nu.18.Atqui,lex ciuilis, & municipalis, illum tantum finē reſpicere videntur,nè publicæ deliberationes abſentia Decurionum retardentur, ergo ſufficere videtur,ſi adſit legitimus eorum numerus,qui negotia communitatis tractare poſsit,atq; definire. Contrariam tamen opinionem in ſpecie propoſita amplexus fuit, Io. de Plat. in l. in filijs, Ver. pone ergo quod Poteſtas fecit conuocare Antianos, uel conſiliarios, ſub certa pęna, & venerunt duæ partes,vtrum illi qui non venerunt, excuſentur à pęna, quia ſine eis, legitime factum eſt, & completum quod fieri debebat: Dic quod non,

quia

quia licet illorum præſentia non fuerit neceſſaria, cum eſſent alij in ſufficienti numero, tamen pæna non remittitur, C. de Decurion. quæ concluſio confirmari, poteſt, ex eo quod, ea eſt mens legis, ut non ſolum publica negotia perficiantur, ſed etiam, ut quantum fieri poteſt humana prudentia bene cōſultētur. quod ut efficiatur, Ordo Decurionum debet eſſe repletus l. 1. ff de Decur. quia, vnius ſententia, ſæpe aliorum opiniones mutantur, ut ſuo loco comprobabo, de quo publico intereſſe agit etiam Loſ. de iur. Vni. par. 1. cap 3. nu. 21. quam rationem ſignificauit Illuſtr. Cardinal. Paleot. in tractat. de Conſult. ſacri Conciſtorij part. 5. quæſt. 8. ubi grauiſsimorum auctorum teſtimonio confirmat, antiquos Senatores fuiſſe diligentiſsimos. cum in Senatu vocabantur, quorum ſedulitas, ratione morali tantum excitata, maximum Chriſtianis Decurionibus ſtimulum admouere debet. qui, iureiurando Omnipotenti Deo, peccatorum uindici iuſto, & recte factorum remuneratori pijſsimo, operam ſuā, et fidem obſtrinxerunt, quamobrem non excuſantur hac ratione Illuſtr. Cardinales à Conciſtorio, quod multi alij conuenerint Paleot. vbi ſupra, quod ergo lex ciuilis uel municipalis, certo nonnunquam numero Conſiliariorum contenta ſit, non ad eum ſenſum detorqueri debet, ut arbitratu ſuo, ſine iuſta cauſa poſsint Decuriones à Conſilio abſtinere: præſertim quia, quod legitimus numerus conuenerit, bono potius euētui, quam prouiſę rationi adſcribendum eſt, quātum enim fuit in iſtis Decurionibus, quorum negligen-

gligentiam, coarguo, & reprehendo, res communes Ciuitatis, non fuiſſent conſultatæ. Sufficit ergo maior pars illorum qui conuenerunt. l quod maior. ff. ad municipal. ſed, quod non omnes conuenire debeant, hoc lex, non dicit, imò cauſam iuſtam requirit.

An Decurio gratioſus apud aliquem magnum virum excuſari poſſit, ſi taceat, aut minus rectè loquatur, ne eius voluntatem offendat, apud quem dicat, ſe poſſe auctoritate ſua alia negotia Ciuitatis adiuuare. Quæſtio 44.

VTinam, tanta ſedulitate, ac diligentia, conarentur quidam Decuriones exequi quæ Spiritusſanctus in eorum animos, inuiſibili influxu aſsidue inſtillat, quanta, nituntur, priuatas ſuas affectiones, ſpecie publici boni contegere: nihil enim eſſet, quod in confutandis quibuſdã leuibus Decurionum excuſationibus tantopere laboraſſent ſcriptores, qui, præcepta Reipub. gerendæ tradiderunt: inter quas, hæc, quam propoſui, paulò occultior eſt, eoq; periculoſior, qua nõnullos uti aliquando audiui. Cum enim gratia florerent alicuius Officialis Regij, contra cuius voluntatem aliquid neceſſario, publicæ vtilitatis cauſa, eſſet tractandum, & deliberandum, uel uocati, non ueniebant in Conſilium, vel ſententiam minime dicebant, aut contraquam re vera ſentirent, ad illius voluntatem ſe accommodabant, ea ratione ſe excuſantes valde ad Ciuitatem pertinere, illius officialis erga ſe beneuolentiam conſerua-

ſeruari, vt, & patriæ, & amicis, in alijs rebus vſui eſſe poſſent: quæ excuſatio, quemadmodum non prodeſt Conſiliarijs non venientibus, qui, tum natura publici muneris, tum religione iuramenti conuenire tenebantur, ita non iuuat tacentes, nec male conſulentes, pertinet enim ad officiũ Decurionis, dicere quod ſentit, ne vitioſi ſilentij, coram Deo reus efficiatur, quod ſilentiũ acerrime reprehendit in Cõſiliarijs Luc. de Pẽn. in l. vnic. C. ſi curialis relicta ciuitate, col 2. quamobrem, non poteſt ſine maxima culpa tacere, aut contra quam ſentiat, loqui: quia, non ſunt committenda mala, vt eueniant bona, D. Thom. 2.2 q. 13. art 7. & eſt vulgata propoſitio, quam confirmat Martin. de Arles in tractat. de ſuperſtit. nn. 71. præterea, illud malum culpæ, & quod in caſu propoſito committit Conſiliarius, & id damnum quod Ciuitati infert eſt, præſens atq; certum, at illud bonum, quod ſibi pollicetur, futurum eſt, & omninò dubium quas equidem rationes latisſimè, ac doctisſimè explicauit, in ſimili ſpecie, Cardinal. Paleot. part. 3. qu. 8. ad quem te reijcio.

An ea de cauſa poßint Chriſtiani Decuriones abſtinere à Decurionatu exercendo, quod videant ſe non poſſe iuuare Ciuitatem corruptam.

Quæſtio 45.

VAlde vtilis eſt ac neceſſaria præſentis quæſtionis explanatio ad ſedandam conſcientiam

tiam Decurionum, qui, tędio publicorum negotiorum affecti penitus vellent illis ſe ſubtrahere: quare præmitto, Decurionatum inter munera perſonalia contineri, quæ, poteſt Ciuitas inuitis Ciuibus demandare.l.in filijs C.de Decur.lib.10 l. 1.& l. honores.ff. eod. Lancellot. de Decur.nu. 27. l. munus proprie ff. de verbor. ſignificat. quia Ciuitas habet ſuos Ciues in poteſtate, & ſubiectione, ſicut pater filios, & eius poteſtas dicitur quodammodo ſacra, vt pulcherrime ratiocinatur Luc. de Penn. in d. l. in filijs. de quo imperio Ciuitatis in Ciues agit I.C. in l. 2. ff. de iuſt. & iur. Soc. in conſ. 35. in fin. lib. 1. quinimo, poteſtas Patriæ in Ciues, aliquo nomine dicitur maior, quam Patris in filios. Modit. in §. Plebiſcitum Dubitat. 26. inſtit. de iure natur. & iſta lex Ciuilis iuſta, & facta ad bonum publicum obligat Ciues in foro conſcientiæ. D. Thom. 1. 2. quæſt. *96.* Artic.4. & ideo Ciues non poſſunt iure communi Ciuitatem in ius vocare ſine venia, ratione maximæ reuerentiæ quam debent illi, uti communi parenti Angel. in l. generaliter. ff. de in ius vocando Grammat. conſ. Ciuili. 40. Aſcan. Clement. de patria poteſtat. Effectu.3. nu 13. quod cum ita ſit, uidetur dicendum, contra legem iuſtitiæ, & charitatis facturum fore Decurionem, qui, ab adminiſtratione rerum publicarum, quam, Ciuitas, in eum ſuo iure vtens contulit, & ipſe ſuſcepit, ſine cauſa legitima ſe abdicaret, iuxta doctrinam D. Thom. proxime adductam, & ob id teneretur ad damna reſarcienda ipſi Communitati, quod non ſolum procedit in eo, qui recu-

ſat Decurionatum, ſed & multo magis alia munera ſibi iniuncta Io. de Plat. in l. Sironenſium, C. de Decur. neq. ex eo iuſtam excuſationem ſumere poterit, quod Senecæ præceptis moralibus informatus ſapiens in lib. de vita beata, cap. 30. minime debeat ad Rempub. corruptam accedere, neq; in ſuperuacuum niti, quod equidem argumentum latius pertractauit Auctor quæſt. Politicar. lib. 1. quæſt. 7. in 4. Argum. huiuſmodi enim Philoſophorum inſtitutiones, à lege Ciuili, & Chriſtiana pietate abhorrentes, minime adducendę ſunt, ad Chriſtiani Decurionis conſciētiam gubernandam. quod meum eſt ſuſcepti operis, primum,, & præcipuum inſtitutum. quandoquidem, in maxima mihi videtur ignoratione rerum, & ſui ipſius nimia fidentia verſari, qui, ſine maximo Diuinæ gratiæ adiumento putet, ſe, ſuo conſilio, & opera labentem Communitatem tueri poſſe atq; ſuſtentare. non igitur tam citò abijciat haſtas, & putet ſe nihil profuturum; ſed more nautici gubernatoris obliquo ductu nitatur, ut, ſi non poſsit quod bonum eſt perſuadere, minus ſaltem proponat malum, vt maius euitetur: ad maximam, & certam ſpem animo erectus, ſuam aliquando operam, Reipub. vtilem, & fructuoſam eſſe futuram, id quod grauiſsime ac ſapientiſsime admonuit Thom. Morus, de Vtopia, lib. 1. & ex Theolog. Driedo, lib. 3. de libertat. Chriſtiana; Caietat. ad D. Thom. 2. 2. quæſt. 95. artic. 8. & in ſumm. ver. Tirannus. Sot. de iuſtit & iure, lib. 6. quæſt. 1. Artic. 5. Specul. Coniug. part. 1. artic. 15. Dubitat. 5. D. Thom. de Regim. Princip.

cip. c.6. dũ inquit, melius eſſe tolerare Tirannidē ad aliquod tempus, quam ea depulſa grauioribus ſe malis implicare, quæ diſputatio melius illuſtrabitur, cum, infra ſuo loco docuero, qua ratione poſsit ac debeat Chriſtianus Decurio, nimium illum atq; immoderatum zelum, publici boni tuendi, & amplificandi intra rationis limites continere; quo, ſe impelli ſentit, ad Reip. gubernacula dimittenda, & cum etiam planum fecero, lege conſcientiæ eum adſtringi, ad ſententiam libere dicendam, licet communi aliorum opinioni aduerſetur. in quam ſententiam ut ſine ulla dubitatione deueniam, me cogit uis, & ſumma, religio iuramenti, quod vnuſquiſq; Decurio præſtare cogitur, cum in poſſeſsionem Decurionatus inducitur, ſeruiendi ſcilicet Reipub. & in omnes Congregationes uentitandi, ad quas, publica auctoritate conuocatus fuerit, hoc enim iuramentum, quod adimpleri, & ſeruari poteſt, ſine ſalutis æternæ detrimento, non video, qua ratione poſsit euitari. vulg. cap. cum cõtingat, de iureiur. una me tamen, & particularis ratio aliquando multum inquietauit, cum uideam Ordinem Decurionum, minime curare, aut ſollicitum eſſe huius iuramenti, exactam exigere obſeruationem, ab his, qui, uel cooptati non ſuſcipiunt munus, uel cum illud aliquantum temporis geſſerint, ſua ſponte poſtea abijciunt, ad quorũ defenſionem vrget Theologica concluſio, quod quãdo pars, cui, fuit præſtitum iuramentum non curat de illius adimplemento, neq; id exigit Deus. D. Thom. 2. 2. quæſt. 89. artic. 9. cum permultis

alijs,quos ſecutus eſt Auctor Clauis Regiæ, lib. 5. cap.7. ver. tertia propoſitio. Tolet.in Summ.lib. 4. cap.22.quibus addo Abbat. in cap. ſicut.*3. de* iureiur.nu. 5. Ludouic. Molin. de Primogen. Hiſpanor. lib.4. cap. 2. nu. *66*. Sed iſta argumentatio poteſt iudicio meo, probabili ratione refelli, quod non ita paſsim,recipienda ſit, ſed ad veras propoſitiones reducenda , diſtinguendo materiam,ſuper qua,huiuſmodi iuramentum promiſſorium interponitur, ut animaduertit. Sot. de iuſtit. lib.8. quæſt. 1. Articul.9 col.4.quādo enim iuramentum reſpicit tantummodo commodum partis cui iuratur, recte procedit relatum argumentum,ut ipſamet poſsit negligendo ſibi nocere, vbi uerò,res de quà ſuſcipitur iuramentum, continet in ſe pietatem quandam, & bonum publicum,valde decipitur,qui ſuæ conſcientię ſecuritatem ponit,in negligentia alterius, in quibus terminis,ni fallor, propoſita quæſtio continetur, illi enim Decuriones,qui, alijs nomine Ciuitatis recipientibus, & ſtipulantibus, iurati promiſerunt ſe, pro uiribus functiones publicas obituros,non commodum recipientium iuramentum reſpexerunt,ſed bonum publicum Patriæ ſuæ, in quo procurando,maxima pietas verſari dicitur, teſte Auendan. de exequend. mandat. Reg. lib. 1. cap. 19. ver. Tempus. dum affirmauit Decuriones, eligi poſſe, die feriato in honorem Dei, quia, talis electio reſpicit pietatem, poſt Deum enim Opt. Max. quem ſuper omnia cunctis animi uiribus, colere debemus, nullum eſt pietatis maius uinculum , quam id, quo, erga Patriam

obliga-

obligamur, D. Ambroſ. lib. 1. officior. Plato in Criton. Stobęus ſermon. 39. in quam ſententiā diligenter pondero hæc verba Clauis Regiæ ſupracitata. Tertia propoſitio, impletio cuiuſcũq; iuramenti facti in fauorem ſolum tertij &c. quorum eſt ſenſus, vt, ſi iuramentum reſpiciat aliud maius bonum, quàm ſimplex commodum partis, non poſſit violari ſimplici conſenſu eius, ſine peccato. Hoc etiam accedit, Decurionem, qui, ſine eiuſmodi cauſa, quam leges Ciuiles approbare ſolent, negotiorum publicorum adminiſtrationem reliquit, conſtitutum eſſe in mala ſide, nec libertatem à publicis muneribus incipere, poſſidere, aut præſcribere poſſe: illud namq; generale eſt, atque perpetuum in omni genere præſcriptionis, vt cum mala fide nequaquã perfici poſſit, cap. final. de præſcrip. in 6. non attẽta opinione Bar. ab omnibus reprobata iuris utriuſque ſcriptor: atq; Theologis, vt, quilibet mediocriter eruditus, quotidie legit, & audit: qui ſanè grauiſſimus error Chriſtiani Decurionis, quem ſuſcepi confutandũ, illa etiam ratione conuincitur, quod inter cęteros notabiles effectus, quos, maiores noſtri iuramento, attribuerunt, ad ſpeciem noſtram accommodatur ille, vt, qui iurauit, nulla alia interpellatione, egeat ad præſtanda promiſſa. Doctor. in l. quod te, ff ſi cert. petat. qua de re, latiſſimè ſcripſit Seraphin. de priuileg. iuram. Priuil. 47. per tot. Maxima etiam vituperatione digni ſunt in foro conſcientiæ, qui, quantum in ſe eſt, diſſimulant, & conniuent tot periuria, & publica de-

trimenta, & cum etiam ipſi iurauerint pro virili ſua, in communem vtilitatem incumbere, me iudice grauiſsimè peccant, nō elaborantes, vt Cōcilia, & minores Congregationes, ſint quam frequentiſsimæ, quia, Reipub. intereſt, ordinem Decurionum eſſe repletum. l. 1. ff. de Decurio. quamquam verò, ordini Decurionum dicatur attributa poteſtas in Ciuitate adminiſtranda, non poteſt tamen ſine iuſta cauſa, aliquid ei detrimenti inferre: vt ſuo loco oſtendam: quod vtique faceret; ſi incuria, & negligentia pateretur, eam, vnius Optimi Ciuis conſilio, & opera, defraudari: nec poteſt Conſilium ſine cauſa diſpenſare Decuriones ab exercitio muneris. l. nullus, l. vacuatis, vbi ſcrib. C. de Decur. Lancellot. num. 27. præſertim cum, qui eſt huiuſmodi inflammatus deſiderio erga patriam ſuam, vt Ciuili fœlicitate fruatur, omnibus honeſtis artibus eſſet inuitandus, & iuſtis remedijs eſſet compellendus, id quod peculiari quæſtione cōprehendā.

De zelo Chriſtiani Decurionis comprimendo.
Quæſtio 46.

EX his, quæ ſupra in quæſtione proxima copioſe diſſerui, licet intelligere, nonnullos aliquando Decuriones, nimio zelo publici boni adeò inquietari, vt vel ab adminiſtranda ciuitate, quàm corruptam dicunt, ſe ſummoueant, vel intimis ſenſibus excrucientur, quod ſæpe videāt, contra quam vellent, pernicioſis deliberationibus communem rem in exitium ruere, & quotidianis

dianis erroribus perturbari, quorũ dolor, quatenus, in deſiderio communis vtilitatis altas radices habet, maxima laude dignus eſt, quod verò, illorum animi tranquillitatem exagitet, chriſtianis à me præceptis, quantum Diuina gratia licebit, ſedandus eſt, atque coercendus. Hoc igitur habeant in mente fixum, ſupra quam dici, aut cogitari poſsit, Diuinam illam maieſtatem, quæ nihil reliquit intentatum, vt eius amorem imperceptibilem, in humanum genus teſtaretur, cupere, & exoptare, vt Ciuitates in hac vita fruãtur bono Ciuili, & ita feliciter viuant, vt eius beata viſione aliquando potiantur, quo fit, vt æterna mente ſua, malam Reipublice adminiſtrationem doleat, & ſalubre remedium, in tempore, atque loco dare conſtituerit, illud ergo expectandum eſt, & enixis precibus poſtulandũ à Chriſtiano Decurione, qui ſatis ſuo muneri factum exiſtimare debet, ſi quod in ſe eſt fidei, conſilij, operæ, ac diligentiæ, ad Patriæ commoda curãda, prompto, & parato animo, exhibeat: quòd equidem non mihi credant, ſed Spiritui Sancto, qui Eſdr. Prophetam, hoc nimio zelo æſtuantem, his verbis confirmauit lib. 4. cap. 5. Quare vadis in exceſſum mentis propter Iſrael, numquit tu plus diligis eum, quàm qui fecit eũ? qua etiam obiurgatione, compreſſus fuit immoderatus zelus Sãcti Franciſci, q̃ mirum in modũ angebatur, quod eius Religio venerabilis, quam inſtituerat ab antiqua diſciplina deceſsiſſet; cogitet ergo Chriſtianus Decurio, neminem, licet prudentiſsimum, poſſe humano conſilio tueri, &

ſuſtentare Rempub. labentem, niſi Dominus, ſuo auxilio proſequatur. Impoſſibileque exiſtimet, omnia vitia, & errores, ita poſſe præcaueri, nè Ciuitas ſæpe aliquid detrimenti capiat: D. Thom. 1. 2. quæſt. 96. att. 2. & ibi Gaietan. Apoſtolica auctoritate ad Roman. cap. 10. Repræhendit eos, qui non habeant zelum Dei ſecundum ſcientiam, non quia zelus non ſit bonus, ſed quia illum habent indiſcretum; meminerint etiā de his, quæ diuino lumine illuſtratus, D. Chriſoſtom. in Homilia de Helia Propheta, egregie in hoc argumento ratiocinatur, nos videlicet, inter peccatores, non autem inter Angelos, conuerſari, quod alijs verbis, alius grauiſſimus ſcriptor expreſſit, Conſiliarios horum temporum, in fęce Romuli, non in Politia Platonis ſententiam dicere, & cum ſperari debeat, in toto conſilio multos adeſſe, qui Deo cari ſint, vtiquè illorum ſocietate, Diuinis muneribus alij participare poterunt, vt quam plurimis ſacræ ſcripturæ exemplis oſtendit Boterius de ſapientia Regia lib. 2. cap. 6. poſtremo illud adiungo, quod notauit D. Auguſt. in Pſalm. 54. in omni congregatioue neceſſe eſſe, vt inueniantur mali, ad bonos exercendos.

De quadam egregia arte, qua vti poſſunt Chriſtiani Conſiliarij ad perſuadendum.
Quæſtio 47.

CVm in huiuſmodi conditione temporum nos viuere contingat, vt multò plures numero

mero ſint illi Decuriones, non ſolum ſci. ntiæ Ciuilis, verum etiam omnis honeſtæ diſciplinæ imperitisſimi, & intolerabili ſuperbia elati, non poſſunt æquo animo audire, qui doctè diſſerint de aliqua re propoſita, maxima quandoque arte opus eſt, vt melior pars paucorum, trahat ad ſe maiorem: quamobrem, vbi aliqui Conſiliarij eruditione, experientia, & chriſtiana probitate præſtantes, certi ſint, eorum ſententiam meliorem, honeſtiorem, & vtiliorem eſſe, & videant reliquum vulgus Decurionum, errore labi, & pertinacia non moueri, vtile præceptum eſt, atque à prudentibus vſurpatum, ac traditum, vt hi pauci, & meliores, non ſtatim, & ex compoſito, in vnam ſententiam conueniant, ſed aliqui ex eis leuiter contradicant, ac tandem veluti conuicti, in aliorum opinionē ſe trahi patiantur, ita enim plerunq; fit, vt imperita turba Decurionum, facile moueatur ab his, quos, ſuæ ſententræ viderat fautores, & re melius intellectu poſtea conuictos: ita ex Plutarc deducit Io. Baptiſta Lentius, in obſeru. politic. cap. 56 his verbis. Cum
„ multitudini ſuſpecta eſt, aliqua actio magna, &
„ ſalutaris, non expedit vniuerſos magiſtratus tā-
„ quam ex compoſito, ad vnam eandemq; ſenten
„ tiam dicendam venire, ſed optimum eſt, vt duò
„ tresuè, facta diſcesſione placide contra amicum
„ dicant, ac tandem veluti conuicti, à ſua ſenten-
„ tia diſcedant, ſic enim facile, populus ab his
„ perducitur, quos, vtilitate exiſtimat moueri; ſe-
„ quitur Bartolom. Philip. in tract. de Conſiliar.
cap. 12. nu. 37.

Quod

Quod Chriſtianus Decurio, facile non debeat multis ferendis legibus ſuffragari.

Quæſtio 48.

INter quamplurima argumenta à grauiſsimis ſcriptoribus adnotata, quibus, labentis Reipub. ſtatus conuinci poteſt, vnum præcipuè recenſetur collectum ex multiplicitate legum: Cor. rupta Repub. multæ leges: inquit Tacit. lib. 4. Annal Lips. Politicor. lib. 2. cap. 11. vt enim in morbis non ſunt tentanda noua remedia, ſi veteribus, malo ſuccurri poteſt, ſic non ſunt multiplicandæ leges, ſi veteres aliquid habeant, quo
" malis Reipub. medearis. Simanc de Repub lib.
" 4 cap. 10. in fine: Toloſan. de Repub. lib. 10.
" cap 5. num. 9. vers. Signum male morigeratæ
" Ciuitatis eſt copia legum, ſicut enim medicorũ
" pharmacis nihil opus foret, niſi morbis laboraretur, ita legibus ferendis niſi perperam viueretur. Io. Franciſcus Lottin. Admonitio. ciuil. 53. cum enim impoſsibile ſit in ſumma copia ordinum, & Ciuilium ſtatutorum, omnia integre obſeruari, ammittũt ciues eam reuerentiam, quàm iuſtis legibus debent, & tota armonia Politica diſſoluitur, Ariſt. lib. 2. Politico. cap 6. Bartholom. de Conſiliar. cap. 13. num. 14.

Quo-

Quomodo Chriſtiani Decuriones poſſint ſimulare. Quæſtio 49.

NVlla eſt magis pernicioſa propoſitio à Diabolo excogitata, & ab eius alumnis, qui eâ abutuntur, frequentius vſurpata, quam iſta, quã nunc ſuſcepi explicandam. Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare: quotidie enim, ob infinitam varietatem humanarum rerum, quæ in vita contingunt, agere, & conuerſari cogimur, cum quibuſdam, neſcio an dicam, hominibus, mendacibus, & ad artificium ſimulandi adeò eruditis, vt numquam eorum lingua, cogitationibus ſuis, & factis, congruat atque conueniat, qui, quantũ in ſe eſt, humanam ſocietatem perturbant: cum enim homo ſit animal ſociabile, debet naturaliter illud alteri homini, ſine quò, humana ſocietas conſeruari non poteſt; atqui, non poſſunt cõuiuere homines, niſi mutuò veritatem dicendo, & credendò, vt ratiocinatur Carthus. in ſumm. fidei tom. 2. lib. 3. art. 174. & maximum damnũ inferunt Eccleſiæ militanti, dum auferunt fidem, & credulitatem: Perald. in ſumm. de virtu. & vitijs tit. de peccato mendacij cap. 5. qua propter dixit Plato. lib. 2. de legibus turpe eſſe, Ciuem illo ore mentiri, quo Deum inuocat, & quoniam cum ipſis præclarius ageretur, ſi ſimplicitate chriſtiana contemnerentur, quam, aſſiduo labore ſimulandi torquerentur, Senec. in lib. de Tranquillitat. vitæ Palear. ad Cornel. Tacit obſeruat. 44. operæpretium puto, vt intelligant, ſimula-

ſimulationem propriæ ſumptã eſſe inuiſam Deo, D. Thom. 2. 2. quæſt. 111. art. 1. in quam incidunt Decuriones, quando ſine iuſta cauſa, aliquibus factis exterioribus, demonſtrent id quod in ſe non eſt: quia pertinet ad virtutem veritatis, vt verba, & facta cum animo concordent: Duplex autem ſimulationis ſpecies conſtitui ſolet, altera mala, & vitioſa, altera vtilis, & chriſtiana; cap. vtilem, 22. quæſt 2. de quibus ita ſcribit Nauar. in cap. humanæ aures 22. quæſt. 5. in tertia Quęſtio num. 8. & ſequentibus. Secundo colligitur duplicem eſſe artem ſimulandi, Alteram quam nonnulli appellant Pelaſgam, qua, quidam, male, abſq; iuſta cauſa, vel non curantes an mentiantur factis, vel verbis. Alteram bonam, quam D. Hieron. in cap. vtilem 22. quæſt. 2. appellat vtilem, qua, quidam alij prudenter, ex aliqua iuſta cauſa, ſine vllo dolo malo, & aſtutia vulpina, & abſque mendácio verborum, & factorum, ſimulant quod non ineſt, vel disſimulant, quod ineſt; qui enim ſine iuſta cauſa, per mendácium, dolum, & aſtutiam malam, id facit, peccat: qui verò prudenter, & iuſta cauſa dicit, vel facit aliquid, quod per ſe ſeparatum ſignificat falſum, ſed ſub intellecto aliquo, efficitur verum ſine mendacio, & dolo malo vtitur bona prudentia: & ideo ſubiungit non omnes ſimulatores eſſe laudandos, aut vituperandos: & num. 13. concludit in hæc verba: Decimo colligitur per hanc doctrinam ſingularem, nos poſſe euitare innumerabilia peccata, quæ pasſim aliquot negligentiores admittimus negando, vel affirmando ſine

„ aliqua ſubintellectione, cum qua coniuncta, eſ-
„ ſent vera: ſæpe enim interrogamur quo vadi-
„ mus, quid comedimus, quantam pecuniam ha-
„ bemus, quas literas, quid noui recepimus, quid
„ ſcimus de illo, aut illo, & alia, ſexcenta id genus:
„ quibus abſque peccato reſpondere poſſemus,
„ ſubintelligendo aliqua quibus fient vera; vt ſi
„ quis reſpondeat petenti pecuniam, librum, vel
„ aliquid noui, non habeo, vel neſcio illa, ſubin-
„ telligendo, ita vt debeam, vel mihi conueniat,
„ tibi præſtare, dicere, vel facere &c. ad quam
Theologorum receptam traditionem, reuocanda ſunt quæ copioſe diſſeruit Celſus Bargal. in tractat. de dolo. lib. 1. cap. 4. ubi agit de bono dolo, quo vti poſſumus ad res priuatas, uel publicas recte adminiſtrandas: & omnes Chriſtiani Conſiliarij ad eam debent operationes ſuas conformare.

Quid facere debeant Chriſtiani Decuriones, qui per alium vel nt, cum vno ſimulare.

Quæſtio 50.

PRoſequendo præcepta Chriſtianæ ſimulationis, me docuit diuturnus vſus, hoc eſſe adijciendum: Solent aliquando publicæ Congregationes, mandare alicui Ciui, de publico conſilio non edocto, vt aliquid, cum uno tractet, uel illi perſuadeat contra quam Communitas uerè ſentiat; quo caſu, ſi regulæ Theologorũ huic

ſimula-

ſimulationi non repugnent, aduertendum eſt, ad ciuilem adminiſtrationem recte obeundam valde pertinere, ne hic electus ſecreta conſiliorum penetrare poſſit niſi enim ipſe prius fuerit deceptus, vix poterit, quod vult, alij perſuadere, vel negotium cõficiet minus fidenti animo, quod præceptum, Principibus viris præſcripſit Guicciard Admonit. 1. Seneca in Thieſte. Palear. ad Corn. Tacit. Obſeruat. 67. vt decipiant Legatũm, per quem, alium Principem fallere cupiũt, & ego transfero ad Conſilia Communitatum, intra tamen cancellos Chriſtianæ diſciplinæ.

Vtrum Decurio Chriſtianus poßit conſulere minus malum, vt maius euitetur.
Quæſtio 51.

NVllus eſt Decurio, qui in publicis Congregationibus, hanc propoſitionem adducere non ſoleat de duobus malis, minus eſſe eligendum; ſed quia, in ea intelligenda, multos errare animaduerti, neceſſarium puto, illam explicare, vt facile poſſint Chriſtiani conſiliarij, ea conſilia capere, quæ, Diuinæ Maieſtati gratiora erunt, & Reipub. fructuoſiora. quamobrem, duo genera malorum diſtinguenda ſunt, quædam ſunt intrinſecè, hoc eſt natura ſua mala, vtpotè, quæ Diuina lege improbantur, & ſolent dici mala culpę: hæc numquam ſuaderi poſſunt ſine peccato, vt diffuſe oſtendit Azor. Moral. Inſtit. to. 2. lib. 12. cap. 16. vers. ſexto. quando minus ma„ lum, eſt ſua natura malum, tunc, parato ad fa„ cien-

" ciendum maius malum, non licet conſulere minus: cui addo in ſpecie iſta Paleot. de conſult. ſacr. conciſtor. part, 3. quæſt. 8. ver. certum eſt, nullo pacto malum culpæ eſſe admittendum, ad damnum temporale euitandum, cũ malum culpę etiam leuis, grauius ſit quolibet damno pœnæ quæcunque illa ſit, & quod dici ſolet ex duobus malis, minus eſſe eligendum, nullo modo admittitur in malis culpæ, quorum, nec minimum eſt eligendum, quia, peccatum nulla ratione eſt eligibile; quando vero ageretur de duobus malis temporalibus quæ euitari poſſent ſine peccato, rectè adduceretur regula memorata: Præterea conſiderandum eſt, neceſſarium eſſe, vt ille, cui cõſilium datur minoris mali, ſit omninò paratus ad maius malum, & præſupponunt omnes, qui de hac re ſcripſerunt. At qui, impoſsibile puto, vel admodum difficile, eiuſmodi euenire caſum, vt Conſiliarius poſsit eſſe adeò certus, Conſilium in quo ſedet, conſtituiſſe committere illud maius malum: quia, donec ſint dictæ ſententiæ, & collecta ſuffragia, nihil certi poteſt in caſu propoſito, Decurio ſuſpicari, & aliàs dixi, in quæſtione. Quid facere debeat Chriſtianus Decurio, qui à communi aliorum opinione diſſentiat.

Quid conſiderare debeant Decuriones in Legatis eligendis. Quæſtio 52.

IN rebus publicis deliberandis, quemadmodum grauiter peccare ſolent nonnulli Decuriones, priuatis reſpectibus moti, ita etiam in

Lega-

Legationibus decernendis, plerique proprijs commodis ſeruiunt; dum eos eligunt, qui ad tātum munus minimè ſunt idonei, vel amicitia, vel ſanguine iunctos: quamobrem, ex multis conditionibus, quę ſapientisſimorum virorum iudicio in Legatis deſiderantur, debent in primis inquirere Decuriones, qui habent ius eligendi, an, qui nominatur, intelligat illud negotium, quod pertractandum eſt, mox an compoſita oratione posſit explicare, quia multis doctrina non deeſt, ſed oratio: quatuor enim ſunt hominū differentiæ, quas D. Gregor. lib. 8. moral. conſiderauit: quidam præditi ſunt facultate intelligendi, & loquendi quidam, earum nulla alij vero alterutra, vt etiam proſequitur Luc. de Penn. in Rub. C. de Legatio. num. 31. Præterea id curare debent Decuriones, vt qui ad officium Legationis deliguntur, grati ſint ei ad quem mittuntur iuxta illud, ſi vis mittere, mitte gratum. Abb. in rub. de vita, & honeſtate clericor. Imprudens enim dicitur poſtulatio, quando tempore neceſſitatis ab eo petitur auxilium, quem in pace contempſeris, inquit D. Hieron. ſuper Hierem. & Palear. ad Tacitum obſeruat. 67. Tertio, vt etiā ſint aſpectu facieq; iucundi, & ueſtitu decoro. Gratior eſt pulcro ueniens in corpore uirtus, ut dicebat ille: & ſi naturæ decus mores exornent boni, duplo amore accedens capitur Stob. ſermon. 65. part. 2. Veſtis autem uirum facit, ut uetere fertur prouerbio de quo Manut. in Adag. cultuſq; magnificus addit auctoritatem. Quintil. lib. 8. inſtitut. Orator. ne Principes uiri, ad quos

legan-

tur,obijciant,quod aliquando intellexi,iſta Communitas non habet alios homines ? Quarto, ne ſint nimis audaces, aut timidi,ut hæc omnia plenius explicat, Luc. de Penn. ubi ſup. & Hippolit. à Collib. in ſuo Conſiliario . In ſumma, perſuaſum habeant Chriſtiani Decuriones, ex qualitate Legatorum , cognoſci prudentiam Legantium Palear. ad Tacit. ubi ſup. & ex indignitate Legatorum,aliquando poſtulata repudiari. Maiores veſtri reſpuere pacem,quia in Legatione non fuit dignitas,nunc Annibal ipſe pacem peto, inquit Annibal apud Liuium lib. 10. de ſecundo bello punico: qua de re meminit Luc. de Penn. ubi ſup.nu.20 Scipio Ammirat. ad Tacit.lib.15. cap. 4 Debent etiam legati habere conceptam ſpem id obtinendi, cuius cauſa mittuntur Luc. ibi nu. 32. ubi ex D. Hieron. colligit quamplura hunc pertinentia . Nihil eſt inquit quod in vita geri poſsit, niſi credulitas ante præceſſerit . Ingreſſurus nauem,credit poſſe ſaluari, Seminans, poſſe fructum colligere, & alia id genus.

Quid conſiderare debeant Chriſtiani Decuriones, in conſtituendis Salarijs , & extraordinarijs remunerationibus Aduocati,et Sindici ipſius Communitatis.

Quæſtio 53.

CVm poſsit ordo Decurionum eligere omnes Officiales, qui ſunt neceſſarij pro adminiſtratione rerũ publicarum. Gloſ. & Bar. in Rub. C. de adminiſtr. rer. pub.lib. 11. Loſ. de iur.vni-

I uerſit.

uerſit. part. 1. cap. 3. nu. 53. & conſequenter, illis conſtituere honoraria, ſæpe accidit, ut ea quæ fuerunt antiquitus decreta, temporum ſucceſſu efficiantur perexigua, quamobrem ad labores Aduocatorum, & ſindicorum remunerandos, ſæpe conſultandum proponitur, in Conſilijs generalibus uel particularibus, de illis extra ordinem augendis, resq; ad paucos defertur publica auctoritate, ut arbitrio ſuo debeant æſtimare illorũ labores, & merita, qui propterea, memoria repetant illas regulas, quas ſæpe inculcaui in Tractat. de Aduocat. Chriſt. & maxime conſiderent excellentiam, & ſummam eruditionem eorum, qui cauſis Communitatis operam nauant, qui, ſi in curſu laudis, & celebritate famæ adæquent hos, quorum opera nunc noſtra Communitas vtitur, largioribus augmentis erunt honorandi. Perilluſtris enim D. Franciſcus Cauccius, I. C. Collegiatus in omni vera laude præſtantiſsimus, eruditione, fide, probitate clariſsimus, rerum agendarum vſu peritiſsimus, in priuatorum cauſis, & noſtræ Ciuitatis patrocinio ita verſatur, ut maximam ſui nominis famam conſecutus, egeat latiore campo, in quo, ſua virtus poſsit liberius excurere, quemadmodum etiam Egreg. D. Lazarmaria Curtarellus Cauſidicus, & Decurio, Sindici munus, ad publicum commodum, & maximam eius gloriam exercens, omnium bonorum commendatione decoratur, in vniuerſum uero cauẽdum eſt, ne, illi quibus data eſt facultas meritorum æſtimandorum in eo decipiantur, ut priuatas eorum obligationes, erga Aduocatos, & Cauſidicos,

ſidicos, publica pecunia diſſoluant,labores, & merita plus æquo compenſantes: quamobrem, cum Decuriones ſint tanquam tutores publici, operæ pretium eſt vt intelligant, minime licere eis abuti hoc arbitrio ſibi conceſſo. Io. Guter. in tractat. de tutel, part. 3. cap. 1. nu. 144.

Quam grauiter errent Chriſtiani Decuriones, vbi agatur de aliquo inueterato uitio extirpando vel corrigendo, ſi Prædeceſſorum conniuentiam obijciant. Quæſtio 54.

IN Ordine Decurionum, quibus adminiſtratio Reipub. commiſſa eſt, incidit ſæpe ſermo de aliqua re mala extirpanda, uel emendanda, ſiue quod Prælati Eccleſiaſtici, pro ſua Paſtorali ſollicitudine,aliquid corrigere,& in melius reformare nitantur, ſiuè,quod in ipſamet adminiſtratione Communitatis aliquid irrepſerit, quod, Diuinæ,vel humanæ legi,aut Ciuilibus præceptis aduerſetur,in quibus publicis conſultationibus, quoſdam aliquando Decuriones audiui,diſciplinę Ciuilis imperitiſsimos,qui, nihil præcogitantes,quod ad rem explicandam prudenter adduci poſsit, continuò, quidquid in buccam venerit, eructant indignabundi, videlicet hanc loquendi formam ineptiſsimam. Illi,& illi,qui,publici boni erant ſtudioſiſsimi,hoc,de quo agitur non immutauerunt,nos verò,qui viuimus ſumus ſapientiores? O Conſiliarij ſine conſilio, conſiderate rogo,& mihi credite,naturam humanam, tot, ac tantis peccatis deprauatam, ſemper in peius

ruere, vſq. adeò vt per ſe ſola, ſine Diuina gratia nihil boni faciat, in omnia verò mala miſere labatur: quà propter, qui regendæ multitudini à Deo præfectus eſt, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ſæculari poteſtate decoratus, ſumma vigilantia elaborare debet, ne vitia diuturno vſu inualeſcant, quod cum ita ſit perneceſſarium, reſpondeatis mihi queſo, hac ratione argumentanti, aut exiſtimatis, eos, quorum ſapientiam, & conniuentiam iactando commemoratis, fuiſſe in officio ſuo, ut decebat, diligentiſsimos, aut imprudentes, & negligentes, ſi de illorum accurata regendi forma, optimam habetis opinionem mente veſtra conceptam, illud ſimul vobis perſuaſum ſit, minime potuiſſe eos omnia corrigere, ſi enim, mille vixiſſent annos, ſinguliſq; diebus in eam curam incubuiſſent, ut peſsimos mores hominum emendarent, adhuc tamen permulta ſuis ſucceſsoribus reformanda relinquere cogebantur, ipſa difficultate rerum, & maxima copia in dies creſcente impediti, id quod non mihi, ſed D. Bernardo credite, lib. 2. de Conſideratione ad Eugen. Pap. ita ſcribenti. Putas ne, & tu in agro Domini tui, inuenias aliquid elaborandum? & plurimũ: non planè totum potuere emendare Prophetæ, aliquid filijs ſuis Apoſtolis, quod agerent, reliquerunt, aliquid ipſi parentes tui, tibi, ſed nec tu, ad omne ſufficies: aliquid profectò relicturus es tuo ſucceſſori, & ille alijs, & alij alijs, uſq; in finem.

De futuris euentis, a Decurione Chriſtiano cogitatione præuidendis.

Quæſtio 55.

CVm eę ſint prudentiæ partes, præterita recordari, præſentia conſiderare, & futura prouidere, ita debet Chriſtianus Decurio, in ſententia dicenda, eſſe circumſpectus, & cautus, ut, quæ, ex capiendo conſilio conſequi poſſent, mente proſpiciat, nihil enim turpius, pronuntiari poteſt, quam illud, Non putaram: ut inquit Demoſthen. Philipp. 3. qua de re, egregie differuit Tull. de offic. lib. 1. in hæc verba; illud etiam magni ingenij eſt, præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante conſtituere, quid accidere poſsit in vtranq; partem, & quid agendum ſit, cum quid euenerit, nec committere aliquid, ut aliquando dicendum ſit, Non putaram, quamobrem, in rebus arduis, & magnis deliberandis, debet Decurio, animo concipere quodcunq; maius malum quod inde poſſet euenire, quod ſi, uel ad illud præcauendum, uel ad ſuſtinendum, & conſilio, & viribus paratum ſe agnoſcit, alacri animo, ſententiam dicat, & cæteris perſuadere conetur, ut præcipit Io. Franc. Lottin. Admonit. 279. quod præceptum, grauiore, & magis pia oratione explicauit. D. Ambroſ. de offic. lib. 1. cap. 38. Hoc igitur diligentiæ eſt, inquit Ambroſ. ut quis ita ſe comparet, illud ingenij, ſi quis poteſt vigore mentis pręuidere, quę futura ſunt, & tanquam ante

„ oculos locare quid poſsit accidere, & quid agere
„ debeat, ſi ita acciderit, definire: interdũ, duo, &
„ tria ſimul uoluere animo, quæ conijciat, aut ſin-
„ gulis, aut coniunctis; ſingulos diſponere actus,
„ quos intelligat profuturos, ne forte dicat poſtea
„ in iſta incidi, quia non arbitrabar poſſe euenire,
„ &c. Quod ſi, Concilia communitatum, huiuſmo-
„ di præceptionẽ obſeruarent, vtiq; multis ſe ſub-
ducerent incommodis, in quæ, quothidie inci-
dunt, nam, aliquando, impetu quodam animi,
aliquid ſuſcipiunt gerendum, uel uoluntati Prin-
cipum reſiſtere incipiunt, minime præcogitantes
maiora mala, quę contingere poſſent, nec ad illa,
conſilio, aut viribus ſe comparantes: expertus
loquor.

De ſententijs medijs, maxima prudentia examinandis.

Quæſtio 56.

QVi in conſultationibus rerum publicarum verſati ſunt, facile mecum recognoſcent, quæ explicare conſtitui; ſæpe enim accidit, in re propoſita, non ſolum diuerſas, uerum etiam aduerſas, & inter ſe pugnantes ſententias dici, & Conſilium in duas partes eſſe diuiſum, uel ſtudio factionum, uel quod vnuſquiſq; putet, ſuam ſententiam meliorem eſſe, quod ubi animaduertant nonnulli Decuriones, gloriæ Ciuilis plus æquo cupidi, ut fiant auctores alicuius ſententiæ, quæ ab omnibus probetur, ex improuiſo, mediam opinio-

opinionem proponunt, ex duabus extremis cõ-poſitam, quibuſdam mutatis, uel additis, in quã, ut plurimum pertranſeunt alij mira facilitate, quod eam videant, contradictionibus non perturbari, uel quod, dum nullus alteri libenter cedit, ſe ſuperari, & moueri patitur illorum conſilio, qui diſputando non reſtiterunt; cum verò, huiuſmodi media conſilia, aliquando ſint reliquis deteriora, maxima cautione, atq; prudentia diuino lumine illuſtrata opus eſſe exiſtimo, ne pernitioſis deliberationibus, Communitas aliquid detrimenti capiat, ut etiam admonet Guicciard. admonit. Ciuil. 142. quamobrem, omnes nouas ſententias, quæ hoc modo proponuntur valde ſuſpectas habeant Chriſtiani Conſiliarij, & abſq; propriæ exiſtimationis inordinata affectione, nõ dedignentur, in aduerſam ſententiam ire, ſi re uera melior uiſa fuerit.

Quam grauiter decipiantur Chriſtiani Decuriones, qui, actionibus ſuis putant, ſe ſemper placere poſſe Deo, & hominibus. Quæſtio 57.

NOn adeò diſtat, Ortus ab occidente, quantum amicitia mundi, ab amicitia Dei, id quod ratio conuincit, firmat auctoritas, experientia teſtatur: creauerat Omnipotens Deus hominem, iuſtitia originali roboratum, & præditum, tantiſq; donis cumulauerat, ut omnes eius animi affectiones, abſq; ulla difficultate, rationis imperio parerent, ratio uerò ipſa minime repugnans Diuinę legi ſubijceretur, cum uerò inordinatus

amor rerum creatarum illum inuaſerit, & impulerit ad peccandum, continuò, admirabilis ille ordo fuit perturbatus, iugum rationis excuſſum, uires animi ſentientis, & appetentis plus æquo corroboratæ, & auctę, hinc, maxima difficultas ad bonum, mira autem, & miſerima facilitas ad malum atq; propenſio, quod antea cupiebat, abhorrere, quod fugiebat, exoptare cœpit, rebellis penitus ſuo Creatori, quæ incompoſita, & effrænata paſsionum humanarum licentia, iure quodam hæreditario, in totam poſteritatem tranſmiſſa, inſolentior efficitur quotidianis culpis, quæ, in nobis miſeris mortalibus, liberi arbitrij uſum, ad operationes uirtutis exercendas, pluſquam dici poſsit infirmant. Ab hac fonte fluunt vitioſæ cupiditates, quæ ex diametro pugnant cum Diuina uoluntate, & efficiunt, id quod ſuſcepi demonſtrandum, eſſe impoſsibile placere Deo, & hominibus, tam diuerſa, adeòq; contraria volentibus, quod Sacræ literæ frequenter inculeant, inter quarum teſtimonia, illud principem locum obtinet, à Seruatore noſtro pronũtiatum, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Math. cap. 6. & eius Apoſtolus Iacob. in ſua Canonica, cap. 4. Neſcitis inquit, quia amicitia huius mundi, inimica eſt Deo, & qui uoluerit amicus eſſe huius ſęculi, fiet inimicus Dei, quem locum ibi explicat peregregie, Dionis. Cathus. Artic. 6. quod multò ante dixerat Propheta Regius; Pſalm. 12. Qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Corpus enim, & Spiritus, magnis, & aduerſis conatibus nituntur, trahere ad ſe ani-

mam ueluti in medio poſitam, quod huiuſmodi exemplo inſinuauit ingenioſus Origen. lib. 1. in Epiſt. ad Roman. Ponamus inquit eſſe aliquod
„ domicilium, in quo, cum Corpore, & Spiritu uelut
„ cum duobus Conſiliarijs, habitet anima, pro fo-
„ ribus verò huius domicilij adſtare pietatem, om-
„ neſq; cum ea virtutes, ex alia verò parte impieta-
„ tem, omnesq; luxuriarum ac libidinum formas,
„ ſpectare animę vultum, quem ex duobus, introdu
„ ci ad ſe deſideret, quem repelli? nonne ſi ſpiritui
„ obtemperans, & meliori vſa conſiliario, pietatis,
„ & pudicitię ad ſe reuocauerit chorum, ille alius
„ ſpiritus repudiatus diſcedit, hanc ergo diuerſitatem ſtudiorum, & varietatem cupiditatum, quæ Diuinæ legi aduerſantur, qui paulò attentius internos motus, & externas operationes obſeruauerit, liquidò perſpiciet, veruntamen ingredi nolo, ad id comprobandum latiſsimum, & immenſum campum omnium actionum humanarum, contentus illis experimentis, quæ, in ipſamet Ciuili adminiſtratione Communitatum, quotidie contingunt. Quid iubet Deus, in Decurionibus eligendis? quæ in hoc libello cumulaui. Quid ſuadet inordinatus amor affinium, & amicorum? Quid ſæpe ſuccedit? res ipſa loquitur. Non ne, omnibus priuatis negotijs poſthabitis, ſicuti iurant ita debent Decuriones, omnibus Conſilijs intereſſe? vnde igitur tanta in rebus communibus negligentia? Non ne, ſtatuta, & Ordines debent obſeruari? Quare igitur, omnia confunduntur, & perturbantur ad libitum paucorum, qui, omnes publicas res, priuatis rationi-

bus

bus accommodant? quia ſcilicet, in maxima difficultate iungendi cum priuato, publicum bonū, hoc, illi plerunque poſtponitur. Hoc ipſum querebatur, ac deplorabat, ille Cato, quem antiquitas vniuerſa, optimum Ciuem, & ſapientiſsimum appellabat. Accedentem, inquit ad Rempub. impoſsibile eſt, placere, & prodeſſe. Quare, cum ratio demonſtret, auctoritas moneat, experientia comprobet, non poſſe Decuriones, ſuis cupiditatibus ſatiſfacere, & ſeruire Deo, faciant mihi poteſtatem, ut eos illis verbis excitem atq; interpellem, quibus fuit vſus Elias Propheta. 3. Reg. cap. 18. Vſquequò claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini illum: ſi Euangeliū Chriſti, quod vobis præſcribit rectæ adminiſtrationis leges, eſt uerum Euangelium, ſequimini illud, ſi autem ex veſtro ſenſu, præcepta regendi vobis confingere licet, illis inhęreatis, omniaq; faciatis, quę paſsionum ueſtrarum impetus agere coegerit, duos habetis oculos, uno quorum Cœlum, alio terram, intueri non poteſtis: Deus fecit vos patres Patriæ, ut eius negotia, amanter, & ſtudioſe curetis, non ideò poteſtis Vitricorum perſonam induere, veſtris tantum commodis intenti. Licent. Piſan. de Cur Piſana, lib. 1. cap. 11. in Apoſtill. Sed quia preterit figura mundi huius, & omnia quæ in eo ſunt, citò præterlabuntur, eam æternitatem aſsiduè cogitate, quam, rarò verſari in mentibus hominum D. Hieronimus, maxima charitate accenſus, noſtram vicem valde dolebat.

Quid

Quid ſi unus Decurio, priuata affectione motus, proponat aliquid, quod bonum publicum reſpiciat. Quæſtio 58.

Licet Deus humani generis Creator, atq; Redemptor, incompræhenſibili teneatur deſiderio; ut noſtræ operationes priuatis affectibus expurgatę ad eius laudem; & bonum publicum ſuſcipiantur, & perficiantur, nihilominus, quotidiana nos docet experientia, quam ſit difficile, intra rationis limites, illos adeò coercere, ut præcipuam nobis cauſam non ſuggerant quandoq; aliquid in Conſilio proponendi, quod ubi præſenſerint reliqui Conſiliarij, operæ pretium puto, ut intelligant qua ratione ſe debeant gerere ne à recto conſilio aberrent; id ergo ſciant, & credant, Diuinam illam Maieſtatem, tanta prouidentia, & ſuauitate cuncta moderari, ut prauis etiam hominum uoluntatibus vtatur, uel ad beneficia alijs afferenda, uel ad pœnam infligendam. Audi benigne Lector, quid hac de re ſentiat D. Auguſtin. lib. vnico, de gratia, & libero arbitrio, ad valentinum: his verbis; „ Quæ ſcriptura diuina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolum bonas „ hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & „ à ſe factas bonas, in actus bonos dirigit, uerum „ etiam illas quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita „ eſſe in Dei poteſtate, ut eas quò uoluerit, quando „ uoluerit faciat inclinari, uel ad beneficia facienda, uel ad pœnas ingerendas, & infra. Ecce quomodo probatur, Deum uti cordibus etiam malorum,

„ lorum, ad laudem, & adiumentum bonorum;
„ quod latius explicat Origen. Homil. 14. in cap.
22.& 23. Numeror. Io. Chriſoſtom. Homil. 54. in
„ Acta Apoſtolor: D. Auguſt. in Pſalm. 104. ubi in-
„ quit. Intuenda eſt ergo res magna, & pernecesſaria,quomodo Deus bene vtatur malis volunta-
„ tibus hominum,ſicut,illi,eſt contra male utuntur
bonis operibus Dei. Benedic. Perer. in Geneſ.
cap. 45. verſ. 5 & 6. cum igitur Decuriones, in eam ſuſpicionem adducti fuerint, unum ex eis non ſtudio publici boni, ſed priuatę voluntatis explendæ aliquid in Conſilio proponere, non animo ſuo rationem meditentur,quæ illum Conſiliarium moueat, ſed accurate diſpiciant, num, ex re propoſita poſsit Reipub. utilitas promoueri. Si ſeparaueris pretioſum à vili,os meū eris,inquit Spiritus Sanctus apud Hiere.c. 15.quæ Diuina prænuntiatio,iudicio meo, ad confirmandum id de quo agitur accommodari poteſt, ut Conſiliarij,ſeparent pretioſum, hoc eſt, finem communis commodi, à vili, hoc eſt, à ratione priuatæ affectionis, quæ, Decurionum impellit ad proponendum: quam vtiliſsimam ſeparationem, ſi Scriptores Politici cognouiſſent, minime elaboraſſent in illa queſtione diſcutienda, quam, primus omnium propoſuit Ariſtot. lib. 3. Politicor. cap.4. numquid malo conſultori,pœna,bono vero præmium, & honor, lege lata debeat decerni, in qua queſtione,pleriq; affirmant,huiuſmodi legem eſſe improbandam, quia bona conſilia ſuſpecta forent, ob ſpem commodi conſequendi. Io. Baptiſta Lētius Obſeruat. Politicor,cap 146.

& ad id quod ſuſcepi pertractandum, mirificè confert, quod legitur in vita Senecæ; quod dum ipſe Neronem ſaluberrimis præceptis informaret, & optimis conſilijs inſtrueret, Agrippina mater ſagacisſima, quæ animo ſuo magna moliebatur, & ad ſpem imperij filium deſtinabat, vtebatur induſtria, & labore præceptoris omnia alia cogitantis: Si igitur fœmina ad tantam calliditatem natura duce peruenire potuit, vt conſilijs, & operationibus grauisſimi Philoſophi, ipſo penitus ignorante uteretur, minimè dubitandum eſt, quin Diuina prouidentia cuncta gubernans, dirigat ad gloriam ſuam ipſas hominũ cupiditates, & prauas affectiones.

An aliquo caſu poßint Decuriones iure prætendere duas voces in Conſilio.
Quæſtio 59.

CONſideranti mihi, numquid circumſcripta conſuetudine admiuiſtrationis noſtrę, quæ, nulli Conſiliario tribuit prærogatiuam duarum vocum, poſſet iure communi adiuuari vllo caſu deſiderium eius Decurionis, qui, eam ſibi deberi contenderet, occurrit hæc facti ſpecies: Habemus in Ciuitate noſtra Conſeruatores Patrimonij, qui, ſingulo biennio, ex ordine Decurionum Conſilij generalis eliguntur, qui, quemadmodũ poſſunt in omnem Congregationem ingredi ſuo arbitratu, ita etiam, à iure noſtro municipali, vel aliquando à Conſilio generali, habent auctoritatem, vnà cum Deputatis cuiuſcunq; menſis, ali-

qua negotia terminandi, & conficiendi,quæ, vbi opus fuerit, iunctis ſuis, cum Deputatorum ſuffragijs,pro publica vtilitate definiunt; ſæpe autē accidit, vt vnus,& idem Decurio, ſit Deputatus, & Conſeruator,quo caſu,ſi peteret ſibi dari duas Pilulas ad ſuffragandum,crederem eum iuſte petere,quia, hæc duo officia non ſunt incompatibilia, nec requirunt continuam asſiſtentiam, & ambo ſunt publica auctoritate, & vtilitate: vt in puncto dicebat Nicol. ab vrbe veteri,cuius dicta reaſſumpſit Alberic quæſt. 142. part. 1. ſtatut. vbi fingit caſum, quod ex forma ſtatuti, Proconſul Notariorum, debeat eligi, per Conſiliū Quadraginta ſapientum, & per Conſules, & vnus ſit Conſul, & Sapiens: qui, longam conſtituit diſtinctionem,& maximè, ver. ſi ambo ſunt collegiata, & non requirunt asſiduam reſidentiam, & paulò infra,tunc, ex vtroque reſultabit effectus,& commodum, & vocis datio,& ad hoc tendunt omnes rationes conſideratæ per Anton. de Butt. in cap. cum olim num. 10. de re iudicat: vbi videatur.

De Decurione,qui habeat duas voces in Conſilio. Quæſtio 60.

IMperitia nonnullorum in foro verſantium,qui ſibi ipſis ſoli ſapere videntur, præbuit mihi occaſionem, in hanc diſputationem ingrediendi,in qua, illud præmitto, ſtatuto, & conſuetudine induci poſſe, vt aliquis habeat prærogatiuam duarum vocum: glo.in cap. cum olim,in ver.duplici voce de re iudicat, Anton. de Butr. in cap. poſtu-

poſtulaſti, de conceſſ. præbendæ num. 10. quæ ſanè prærogatiua, ſi alicui conceſſa fuerit, ſciat in primis minimè licere ſibi ſuas voces diuidere: ita vt, vna, vni, altera, alteri faueat: quia cum ſemper debeat eligere meliorem, & digniorẽ, & maius bonũ Cõmunitatis procurare ea ratione qua ſuffragatur vni, vna voce, tenetur, eidem alteram vocem dare: cap. penult. & ibi glo. in uer. nihil, de electio. in 6 Paul. de Citadinis in tract. de iure patronat. part. 6. artic. 3. num. 7. Lanberteng. in eodem tract. part. 1. lib. 2. artic. 11. quęſt. 4. principal. Abb in d. cap. cum olim, col. 3. in fin. vbi Felin. col. 3. ver. dũ dicit Abb. Alex. in additio. ad Bar. in l. ſi conuenerit §. ſi nuda ff. de pignorat. actio. Bero. quæſt. familiar. 136. nu. 10. Roman. ſingular. 77. vbi Matheſilan. in annotatio. Vbi verò contingat, exempli gratia, extare in Conſilio viginti Decuriones, & decẽ ex eis in una ſententia eſſe, alios verò decem in alia, præponderabit illorum opinio, in quorum numero aderit ille, qui duas uocas habeat: Anto. & Imol. in d. cap. poſtulaſti de conceſsio. præbẽd. ille, num. 12. hic, num. 16. & ita continet maiorem partem.

Numquid Decuriones miſſi à Communitate extra Patriam, ad aliquid agendum, poſſint aliquid iure petere vltra expenſas neceſſarias.
Quæſtio 61.

HAnc ipſam quæſtionem diffuſe pertractaui in ſecunda parte mei tractat. de Aduocat. & Cau-

& Cauſidico Chriſtia. quęſt. 2. ſed & eam nunc repetere ſummatim operę pretium duxi: quamobrem ex ibi dictis conſtituitur iſta cõcluſio, quod quando aliquis Decurio legatur extra Ciuitatẽ, qui ſoleat ex operis ſuis quotidianis aliquid emolumenti percipere, poteſt iuſtum honorariũ vltra expenſas petere, & exigere Appoſtillat. ad Guidon. Pap quæſt. 68. vers. niſi eſſet perſona Natt. ad Alex. cons. 109. lib. 6. vers. ſecundo iſtud limitandum in uiro, qui quotidie lucraretur. Caroc. de locat. tit. de adminiſtrat. rer. ad Ciuitat. pertinent quæſt. 4. ex qua infertur, ut Decuriones iuriſconſulti, qui, forenſibus cauſis operam nauant, posſint petere ut ſibi ſoluatur eiuſmodi honorarium, ad compenſandum illud lucrum, cuius iacturam patiuntur: cęteris uerò ciuibus, ultra expenſas nihil debeatur, quę ſanè expenſæ debent eſſe moderatę inſpecta conditione perſonarum, nec enim ulla ratione probare poſſum, illarum Communitatum inſtituta, ut æqualiter, æqualitate Aritmetica, omnes Ciues tractari debeant, ueluti, ut cum duobus famulis aut ſeruis proficiſci posſint: quia plerique ſunt ea conditione nati, ut uix unum domi ſuę alere posſint, de quibus illud uſurpari poteſt, quod obijciebat Cicero in Piſonem. Serui, inquit, ſordidati miniſtrant: idem Coquus, idem Atrienſis, idem Piſtor. nihil eſt enim inæqualius, hac ęqualitate, hoc modo intellecta Licent. Piſan. lib. 2. cap. 4. neq; rectæ adminiſtrationis ratio patitur, ut in publicis negotijs foris pertractandis tanto interuallo eum ſumptum excedant, quem,

in proprijs facerent: quæ cum ita ſint, perſpicue patet, ſtat. noſtrum de Regenda Ciuitate cap. 34. ſub Rub. Quod electi pro Ambaſciatoribus non poſsint per ſe aliquid impetrare, nec pro ipſo officio debeant habere ſalarium, &c. Intelligendũ eſſe interpretatione paſsiua, cum diſtinctione memorata, ut minus aduerſetur iuri communi, l. ſi ſerui veſtri Cele naxal. Bar. in l. 1. §. lex falcidia, ff. ad l. falcid. cum mille vulgar. debent tamen iſti Legati maxima diligentia incumbere in publica negotia Communitatis, ne diutius extra Patriam commorentur propria delectatione, uel priuato negotio occupati, nam etiam in foro conſcientiæ tenerentur ad reſtitutionem expenſarum, quas in Hoſpitijs erogaſſent: ut in puncto ſcripſit Alphon. Modit. in §. Plebiſcitum Dubitat. 42. Inſtitut. de iure natur. gent. & Ciuili.

Quod Decurio Chriſtianus, debeat aliquas imperfectiones Officialium Communitatis, prudenter diſſimulare. Quæſtio 62.

VErum eſt quod ſæpe dixi, præcipue in Conſolatione ad Aduocatos Afflictos. in 2 par. mei Tractat. de Aduocat. Chriſtiano, neminem reperiri, qui, omnibus numeris, ita ſit abſolutus, ut aliqua de cauſa non poſsit repræhendi, male tamèn faciunt, imprudentes illi Decuriones, & humanæ imbecillitatis immemores, qui, qualibet leui imperfectione, Officialibus Communitatis ſuccenſent. ſtatimq; animo concipiunt non amplius eos ad publica munera promouere: de-

bent enim, quędam leuia prudenter in eis diſsimulare, quando, cętera conueniant quibus, publica vtilitas conſeruari poſsit. Diſpenſationes
„ rerum inquit Summ. Pontifex in cap. diſpenſa-
„ tiones. i. quæſt. 7. cogunt nonnunquam, parum
„ quidem, quoſdam à debito foras exire, ut maius
„ aliquid lucri faciant. Sicut enim qui mare naui-
„ gant, tempeſtate vrgente, & periclitante naui,
„ quædam exonerant, ut reliqua ſalua maneant,
„ ita & nos, cum non habeamus ſaluandorum om-
„ nium negotiorum certitudinem, deſpicimus quę-
„ dam ex his, ne cunctorum patiamur diſpendia,
&c. Quamobrem, ſi aliquis Communitatis Miniſter, in quibuſdam leuibus aliquando deficiat, æquo animo tolerari debet, modo in his quæ sũt maioris momenti, munus ſuum cum fide obeat, atq. diligentia, quod præceptum, Principibus viris longiore oratione proponit Gregor. Toloſan de R. pub. lib. 4. cap. 6. nu. 6. ver. ſint etiam in magiſtratibus, &c.

An Chriſtiani Decuriones poſſint conqueri apud Principem, de nimia frequentia delictorum, & aliquod remedium petere ad illam cœrcendam.

Quæſtio 63.

Sicút natura nouas quothidie properat edere formas, ita, in infinita varietate humanarum rerũ, ſæpe ea accidunt, quæ, Decurionibus ſtudioſis publicę quietis, nouam, & neceſſariam occaſionem præbent dubitandi, cuiuſmodi eſt iſta, quæ nunc ſe mihi, obtulit, perpulcra, & periucunda

arbi-

arbitror ergo, & conſtantiſsime affirmo, non ſolum id poſſe Decuriones, verum etiam multis nominibus debere. Cum enim natura ſuſcepti muneris, & religione iuramenti, teneantur publicum bonum totius Communitatis procurare, quod conſiſtit in ſumma pace Ciuium ac tranquillitate, vtiq; licet non poſsint auctoritate ſua, & imperio, improbos Ciues in officio continere, debent tamen Principem certiorem facere, de his, quæ maiore ſunt poteſtate reformanda: Ad hec, cum dici ſoleat, & veriſsimum ſit, pertinere ad publicam vtilitatem, delicta puniri, fiat quæſo mihi poteſtas interrogandi, ad quos, huiuſmodi vtilitas redundat primo, & principaliter conſiderata? negari vtiq; non poteſt, quin ad ipſos Ciues ſpectet immediate, ne boni, ab improbis, impotentes à potentibus, tenuiores à diuitibus opprimantur; Sed ut omnes legum tutela muniti hanc vitam beatam ducant, qua cum fuerint perfuncti, in Cœleſtium ſpirituum numerum, Deo miſerante, referri poſsint. Si igitur, ad Ciues pertinet, fœliciter, & beate uiuere, quare, non poterunt Decuriones, omnium Ciuium tutores publici, hoc Chriſtianum officium, de quo agitur, ſine repræhenſione, atq; adeò, cum ſumma laude explicare? Præterea, quomodo poterũt Principes, eorum munus à Deo illis demandatum, populorum regendorum bene eſt laudabiliter obire, niſi certiores fiant de his quæ emendanda ſunt, atq; corrigenda: quod ſi Principes admonendi ſunt, nemo ut opinor, maiore fide id præſtare poterit quam Ordo Decurionum, ut ſci-

licet, tutores publici, de publicis malis conquerentes, remedia petant; Nec ommittendum eſt, quod ipſo rerum vſu in dies obſeruatur, ex nimia licentia, & improbitate paucorum Ciuium, uniuerſam Ciuitatem infamia adeò laborare, ut eius nomen, niſi magni dedecoris nota cumulatum, numquam vſurpetur: ut igitur, publicæ dignitatis decus, aliquo publico facto, ab inuidia vindicetur, ſumma laude mihi videntur digni illi Decuriones, qui, paucorum ſcelera impunita deteſtando, Principum auxilium poſtulent, & quamquam, huiuſmodi expoſtulationes publicæ atq; querelæ, maximam iniuſtitiæ, uel negligentiæ labem Officialibus inurant quòd prætio corrupti vel gratia, de malis, & perditis Ciuibus, diligentem queſtionem non habeant, hortor tamen in Domino omnes Conſiliarios, ne timeant illorum offenſionem, ſed tanquam Communitatis canes à Deo præpoſiti euigilent ac latrent: illud tamen obſeruandum præcipio quod uſus me docuit, ne talem arripiant occaſionem, ut Ciuitati obijci poſsit aliqua ſimultas, aut priuatæ indignationis ſuſpicio contra Officiales, qui, nihil intentatum relinquunt, ut a ſe auertant omnem culpam, & criminationem: quo fit, ut in hac colluuie temporum in quæ incidimus, cum nemo ſit tam improbus magiſtratum gerens, qui ſuos fautores non habeat, facile repudientur huiuſmodi querelæ Communitatum, confictę, ut dicunt, non ſtudio publici boni, ab his, qui, in Officiales non bene animati ſunt atq; affecti, quod ſi, aliquæ Ciuitates, malo ſuo fato, non poſſent libere Principis

opem implorare,ſciant,ſe ob peccata publica, & priuata,ad extremum infœlicitatis humanæ gradum perueniſſe, ut omnia mala pati cogantur; erepta etiam facultate conquerendi: quamobrē, quod ſolum eis ſupereſt, ad Deum toto corde ſupplices conuertantur,ad ſpem erectæ, ſe, ab iniuſtis, & auaris Officialibus aliquando fore liberandas.

Vnum deceat, Ordinem Decurionum à Principe deprecari veniam, uel leuationem pœnæ, pro aliquo Ciue delinquente.

Quæſtio 64.

SI aliqui Decuriones eſſent Ciuilium rerum adeò periti, ut ſunt agri colendi, totiusq; ſuæ ruſticæ rei bene curandæ, non audirentur profectò tot ac tantæ ineptiæ, quæ riſum, & ſtomacum mouent, cuiuſmodi eſt iſta quam ſuſcepi confutandam,non decere Communitates deprecari veniam, uel pœnę deminutionem pro Ciuibus ſuis delinquentibus,quia viderentur approbare commiſſa peccata, & ſemper huiuſmodi officiis pro aliquo Ciue facinoroſo cogerentur apud Principem agere, grauiorum negotiorum curam ommittentes; ſiue enim momenta rationum, ſiue auctoritatem ſanctorum virorum præcipientium, ſiuè exempla perpendamus, nihil vtiq; inuenietur, quod Decuriones deterrere poſſit ab hoc pio,& laudabili officio exhibendo, certum enim eſt in uirtute charitatis fixas illud habere radices,quæ nobis pręcipit,ut quodcunq;

 poſsit

poſsit in aliorum vtilitatem conferri, hilari animo conferatur, quam ſanctam præceptionem, ex D. Gregor. ſuper Euang. de talentis, & alijs pijs ſcriptoribus, frequenter commemoraui, in tractat. de Aduocat. Chriſt. & in alijs queſtionibus huius libri, quò fit, ut illa publica auctoritas, quã referunt Conſiliarij, locò talenti à Deo ſibi communicata, debeat aliquando ad calamitoſorum hominum beneficium adhiberi: præſertim, ſi uim illorum laudabilicum nominum, quibus, in prima quæſtione dixi, Decuriones honeſtari, æſtimare voluerint, quod ſint Patres, quod Tutores, ſi Patres, quomodo filiorum, ſi tutores, quomodo pupillorum, chriſtiana deprecatione egentium, protectionem, atq; tutelam poterunt prætermittere? neq; ſanctorum virorum de eſt auctoritas, qui, etiam ipſis Epiſcopis, apud Principes & iudices laicos, hoc Chriſtianum officium, ſummopere ſcribant conuenire, vt vltimo ſupplicio ſubtracti rei, & ad meliorem frugem reuertentes, Diuina miſeratione poſsint ab ęternis pœnis preſeruati, ut pluribus rationibus reſcripſit D. Auguſtinus ad Macedon. Epiſtol. 54 quæ videri poteſt: id quod, aliquas Communitates nonnunquam præſtitiſſe legimus, & maxime. Creſcentini, pro qua reſpondit Crauett. in conſ. 595. quod non ideo dici deberet approbaſſe delicta ſuorum Ciuium, quorum pœnam fuerat deprecata, quam etiam rationem grauiter confutauit Auguſt. vbi ſup. oſtendens ad Chriſtianam perfectionem pertinere odiſſe peccata, & humanam naturam pęccantium amare atq; commiſerari, quemad-

modum

modum etiam, nimis frigida eſt atq; ieiuna illa ratio, quod hæc officia Communitatum pro aliquo Ciue iuſta ratione ſuſcepta, poſsint propter ſtudia factionum, quæ in Conſilijs vigent, in exẽplum trahi; nam id non dico, Decurionum Ordinem paſsim debere pro omnibus intercedere, ſed maximo cum delectu, illisq; regulis, quibus ipſimet Principes flecti ſolent ad clementiam, ut ſemper publica utilitas non priuatorum ſtudiũ inſpiciatur: præſertim quando de illius Ciuis periculo ageretur, qui, de tota Communitate optime meritus foret, & in poſterum poſſet benemereri. adeò, ut longe vtilius eſſet hunc Ciuem Patriæ conſeruari, quam, ſupplicio tolli: ſicut ex diuerſo, eiuſdem publicæ vtilitatis ratio, tanta eſſe poterit aliquando, ut idemmet Decuriones vrgere debeant Principem, ut, de facinoroſis, & proditoribus, qui, in ipſum coniuraſſent, ſupplicium ſumat, quia, cautio Principis boni eſt cautio populorum, ut dicebat. Tull. pro Marcello, vindictæq; tales dicantur ipſorum populorũ. Iuſt. Lipſ. Politicor. lib. 4. cap. 10. Sed, & ſi accideret Communitatem iudicio contendere cum aliquo magno viro, eumq; à priuatis Ciuibus contumelioſe tractari, non poſſet Communitas, tantam iniuriam diſsimulare, ne publico conſilio illata videretur.

Quod Chriſtianus Decurio, facile non debeat in Officiales concitari, vt ad eorum exiſtimationem apud Principem deminuendam, ſua ſententia ſuffragetur.

Quæſtio 65.

CONſilia Cõmunitatum, quæ diuerſis rebus, quoad varios effectus comparari ſolent, videntur iudicio meo, ad id explicandum, quod nunc propoſui, valde ſimilia tranquilli maris, quod ſubitò, ventorum flatibus perturbatur, vbi enim aliquis Decurio, gratia, & auctoritate potens, in officialem aliqua de cauſa non ſit bene animatus, occaſionem arripit à publica cauſa, quam Officialis, Decreto ſuo vulnerauit, hortaturq; & vrget, vt conſiliũ capiatur grauiter apud Principem conquerendi, & eiuſmodi ſententiam ab eo eliciendi, qua apertè notetur iniuſtitia, vel imprudentia Officialis: Verum, cum id raròad votum Communitatis ſuccedere ſoleat, mecum ipſe admiratione commotus, cauſam aliquando inueſtigaui, eamq; arbitror eſſe, quod apud Principes, hoc ſit tanquam principium Politicum, bene conſtitutum, tueri, & conſeruare quoad fieri poſſit, exiſtimationem ac dignitatem ſuorum Officialium, quorum vtuntur opera, in Repub. adminiſtranda: quapropter: in publicis ſuis Decretis id ſemper ſpectant Principes, vt honeſtiore verborum forma ſubditi, quod ſuum eſt, iure conſequantur, ſalua tameu Officialium integritate famæ; quod ſi, eos aliqua correctione egere

cogno-

cognouerint, remotis arbitris, admonent, quid in poſterum cauere debeant, & ſi opus eſt,officio motos ſub ſpecie honoris, ſubditorum commodis conſulunt: Palear. ad Tacit. Obſeruat. 116. propterea, ab huiuſmodi conſilijs caueant: tum quia, indecorum eſt, tentare, quod non obtineatur: tum quia, eiuſmodi motus animi, priuata affectione excitati, in ea facile Chriſtianos Conſiliarios impellunt, quæ charitati repugnant, & animam ſceleribus obſtringunt.

An aliquo caſu poßit Conſilium congregari, ſine auctoritate, & præſentia ſuperioris. Quæſtio 66.

IVre communi conſtitutum eſt, non poſſe Cōſilia Vniuerſitatum congregari ſine auctoritate ſuperioris, & præſentia, quia Prætor eſt caput Conſilij ſecularis, Glo. & Bar. in l. nulli ff. quod cuiuſque vniuerſit. Bar. in l. actor num. 10. ff. rem ratam haberi, Io. de Plat. in l. 2. C. de decur. Alberic. & Bal. in l. 1 C. de ſeruo Reipub. manum; idem Alberic. in d. l. nulli: Licent. Piſan. lib. 1. cap. 8. Montanar. de adminiſtr. vniuerſit. Pragmat. 2. num. 266. Loſæus de iur. vniuers. part. 1. cap. 3. num. 67. quod etiam fuit iure noſtro municipali confirmatum: An autem Princeps poſſit ad ſui libitum intereſſe conſilijs Communitatum, diſputat Alba cons. 186. num. 11. Vbi tamen ageretur de re, & commodo, uel incommodo ipſius Officialis, poſſet Conſilium ſine eo cōgregari, vt limitant Doctor. ſup. citat. & Alba

in cons. 427 & menſe Aprilis huius anni 1612. fuit apud nos vſurpatum, nam cum exquirendæ eſſent ſententiæ Decurionum ſuper quibuſdam actis D Prætoris, quæ ipſe fecerat in damnum Communitatis, nec ipſe, nec eius Aſſeſſores, vocati fuerunt, quia contra eos vigebat eadem ſuſpicio ſuſpecto capite. Licent. vbi ſup. cap. 9. ſed Gubernator iuſſit cogi conſilium, & illi præfuit, quod fieri poſſe declarauit Senatus anno 1599. die 12. Auguſt. ſimili quoq; ratione vitandæ ſuſpicionis ob proprium commodum, vel incommodum, quod ad Conſiliarios redundare poſſit, cauetur ſtatutis noſtris, vt e conſilio diſcedant.

An, & quando poſſint Decuriones gerere aliqua publica officia antequam eligantur. Quæſtio 67.

VAlde delectatus ſum, cùm in hanc quæſtionem, ducente Deo incidiſſem, quam proponit, ac explicat Bar. in l. ſi legatario §. 1. ff. de fideicom. libert. aliquando enim, omnes Decuriones, hoc eſt eorum nomina, in una Pixide cōſeruantur, & ex eis, ſingulis annis, nonnulli ad aliquod officium, ſortè extrahuntur. Si igitur omnibus alijs iam extractis, aliqui ſciant, ſua nomina in Pixide remanſiſſe, poterunt abſq; alia electione, illud officium adminiſtrare, quia certum eſt eos eſſe neceſſariò eligendos, & extrahendos: hoc ipſum tenet idem Bar. in l. ſi tibi, §. 1. ff. de optio. legat. poſt Iacob. de Aren. ibi, Marc. Anto. Cucc. inſtit. Canon. tit. de electio. nu. 34.

An

An ſemper vocandi ſint omnes Decuriones?
Quæſtio 68.

QVamquam quod facit maior pars Decurionum, debeat eſſe ratum, atque firmum, vulg. l. quod maior, ff. ad municipal. debent tamen omnes legitime vocari, & more maiorum: Dec. in l. qui poteſt inuitis num. 4. ff. de reg. iur. Lancellot. de Decurion. num. 45. Los. de iure vniuerſitat. part. 1. cap. 3. nu. 75. Verumtamen aliquis poteſt euenire caſus, quo ſuſtineantur acta à maiore parte, alijs etiam non vocatis, videlicet, ſi conſilium generale, vel Princeps mandaret ab initio, maiori parti, vt aliquid faceret, hoc enim caſu, non faceret, vt maior pars, in quã de iure conſolidata ſit poteſtas totius Congregationis, ſed faceret, tanquam habens mandatum à principio: ita declarat Angel. in cons. 269. num 2. uers. ratio me mouens: & ſequitur Polidor. Rip. obſeruat. 144. ubi uideatur.

Quid præcauere debeant Decuriones, in proponendis negotijs in conſilio conſultandis.
Quæſtio 69.

SI in Communitatibus adminiſtrandis, illi Decuriones, qui, ſingulari Dei beneficio, cæteris præſtant ingenio, uſu, & prudentia, antecellerent etiam ſemper chriſtiana probitate, minimè fuiſſet opus hanc diſputationem ſuſcipere aliquando enim animaduerti, eiuſmodi propoſitionis

ſitiones fieri in Conſilio, conceptas Diabolica ſagacitate ad imperitos Conſiliarios decipiendos, ita ut, vna uerborum ſtructura, & conceptione, multa eaq; varia negotia concludantur, vel quædam qualitates exprimantur, cum negotio principali, vt cogantur Decuriones, vel malum cum bono coniunctum amplecti, vel bonum, ratione mali: repudiare: quod malitiæ genus, vt maiores noſtri in publico Conſilio præcauerent, ſtatuto ſanxerunt, cap. 33. titu. de Regenda Ciuitate, in hæc verba, & quod omnia partita fieri debeant ſingulariter, & per ſe, de uno quoque negotio, ſiue facto, & ſi de duobus negotijs, vel pluribus, partitum aliquod ſimul factum fuerit, pro non partito habeatur, & prouiſio, ſuper hac aliter facta non valeat ipſo iure: & quod poteſtas, & quilibet alius faciens tale partitum, contra prædictam formam condemnetur tempore ſindicatus ſui in libris decem &c. quod ſtatutum non ſolum intelligi debet de negotijs ſeparatis, prout loquitur, ſed etiam de vno, habente annexas eiuſmodi qualitates, ſine quibus, quemadmodum ſtare poteſt negotium principale, ita, cum illis efficitur multiplex, varium, atque confuſum, adeo, vt poſſint Decuriones ſuo ſuffragio approbare vnam partem, & aliam reprobare: vt in ſimili ſpecie reprobantur in iudicijs multiplices poſitiones, quarum vna pars poteſt eſſe vera altera uero falſa: Glo. in cap. 2. ver. abſq; rationabili cauſa, de confeſſis in 6. veluti ſi quis deduceret in poſitionibus, Sempronium poſſidere, rem, ad alium pertinentem: poteſt enim eſſe,

quod

quod poſsideat, licet ad alium nôn pertineat: quod genus poſitionum improbat quoque Sola ad conſtitut. Sabaud. tit. de poſitionibus, Glo. 9. Curt. Iun. poſt alios, in l. 2. §. quod obſeruari num. 30 & num. 42. C. de iurament. calum. & plura alia ex exempla multiplicium poſitionum, adducit Natt. in cons. 20. num. 7. & Neuizan. in cons. 7. num. 9. Bal. in l. precibus, in primo notab. C. de impuber. qualitas enim adiuncta diſpoſitioni, ſæpe ſolet illam alterare, Bar. in l. Senatus num. 20. de accuſatio. caueant ergo chriſtiani Conſiliarij, & maxime, qui plus cęteris ſapiunt, ne iſtiuſmodi propoſitionibus, inducant totum conſilium in errores pernitioſisſimos, ſed apertè, & bona fide agant, vt reliqui Decuriones, posſint ſuffragando ſeparare pretioſum, à vili, hoc eſt ſequi, quod ciuitati vtilius erit, & melius.

Quod Chriſtianus Decurio, patienter, & moderate debet audire alios, qui ſententiam dicunt, licet ineptam, & modeſtè contradicere.

Quæſtio 70.

HOc vitium latè ſerpit, maxime inter aliquos Conſiliarios, qui, cum pręſtent illis adiumentis, quibus, Reſp. Optime gubernatur, ad tantam ſui exiſtimationem, vanitate mentis ſe ipſos attollunt, ut ſibi ſoli ſapere, reliqui verò deſipere videantur: in quos, vſurpari poteſt ille Homericus verſiculus, cuius meminit Plut. in Polit. Tanquam vmbræ volitant alij, ſolus ſapit iſte? quò fit, ut dum audiunt alios vel minus ornate,

uel extra rem differentes, incompoſitis corporis motibus, & geſtibus, maximam impatientiam præſeferunt, & importunis reſponſionibus, loquentium ſermones interrumpunt, à quibus fontibus haurit Diabolus quamplurima peccata, Chriſtiano Conſiliario præcauenda, dum enim, qui dicendo expromit, quæ, in re propoſita cogitauit, ſe, ſuaq; dicta contemni animaduertit, indignabundus & ipſe, deſpicit meliorem aliorum ſententiam, atq; dimmiſſa diſputatione, quę inſtituta fuerat ad publica negotia conſultanda, Diabolica malitia deceptus, vocari ſe patitur in tacitam honoris contentionem, atq; omni ſtudio ſe opponit his, à quibus ſe neglectum arbitratur, ut vſus quotidianus docet, ac teſtatur Bartol. Philip. de Conſil. cap 12. nu. 42. & 45. Hippolit. à Collib in ſuo Conſiliario, part. 2. qui, hoc uitiũ multis uerbis deteſtantur, quibus addo Lottin. Admonit. Ciuili 320. In contradicendo igitur, rationibus tantum certent, & cæteris Conſiliarijs honorem exhibeant. Lottin. Admonit. 301. illumq; modum teneant, ne' ſuperbi, aut peruicaces habeantur. pleriq; enim ſunt, conſilij quamuis egregij, quod ipſi non attulerunt, inimici, & ſi quid auctoritatis in ipſis eſt, crebris contradictionibus deſtruunt. Iuſt. Lipſ. lib. 3 Politicor. cap. 6. ubi igitur publica vtilitas non repugnet, mordicus ſuam ſententiam non teneant; ne Rempub. in diſcrimen adducant, memores illius euenti, quod Sacræ literæ atteſtantur, de Architophel 2. Reg. cap. 17. Cuius Conſilium, cum ab Abſalone fuiſſet repudiatum mortem ſibi conſciuit

ſciuit, quod exemplum, in propoſito noſtro, ad Conſiliarios erudiẽdos attulit Illuſtriſſimus Paleot. de conſult. Sacri Conciſtor. part. 4. quæſt. 7. ita enim fiet, vt minore inuidia onerati, maiorem poſtea auctoritatem habeãt, in grauioribus rebus deliberandis, quam quæſtionem claudo, nonnullis præceptis, quæ, Auctor Quæſtion. Politicar. part. 1. quæſt. 23. Seriatim explicauit: his verbis. Quorum primum eſt, vt in Senatu, pro
„ Repub. ſententię diuerſæ dicantur acriter, in pri
„ uatis verò rebus, amice ac familiarirer agatur:
„ Secundum, vt diſtinguatur inter Ciuem nobis
„ diſſentientem, & verum inimicum. Tertium, vt
„ vitentur repræhenſiones, & fugiatur iracundia, &
„ contumelia. Quartum, vt vſurpetur illud, Hæc
„ tibi videntur, illa verò mihi; Quintum, adhibea-
„ tur quoque laus prudentiæ, ac doctrinæ, Patriæ
„ amoris, & fidei, ita denique agatur, vt non à voluntate, ſed ab intellectu, diſſenſio proficiſci videatur: quando enim concordant Decuriones in bono communi, ſed non conueniunt in medijs, talis diſcordia, non habet in ſe aliquam culpam. Dionis. Carrhus. in ſumm, Fidei, Tom. 2. lib. 3. artic. 82. Quod verò præcepi Decurionibus, vt aliorum ſententijs modeſtè contradicant, maximè pertinet ad quoſdam indoctos homines, de quibus ſcribit Patric. de Repub. lib. 4. Oblatratio, inquit, vnius indocti hominis, ſæpe tota Comitia perturbat; cui, alij Decuriones, grauitate præditi, non audent inani verborum altercatione ſe obijcere.

Quo-

Quomodo debeant Chriſtiani Decuriones, celebrare dies feſtos Sanctorum, Protectorum ſuæ Communitatis. Quæſtio 71.

NVlla eſt Communitas Chriſtiana, quæ non profiteatur recognoſcere aliquos Sanctos, vti proprios eius Protectores; eorumq; dies feſtos celebrare nitatur. Sed pauci ſunt illi Decuriones qui, eiuſmodi actus Chriſtianæ pietatis efficere ſtudeant, quibus, ſanctiſsima Trinitas, & vniuerſus ille beatorum ſpirituum cœtus, ualde delectatur. totos namq; dies traducunt in epulis, choreis, & ſaltationibus, & vanis ſpectaculis edendis, & ſi aliquando in templis conueniunt, nihil unquam cogitant, quod ſibi ad ſalutem æternam proficere poſsit, in quos grauiſsime inuehitur Spiritus ſanctus apud Prophet. Amos. cap. 5. his verbis. Odi, & proieci feſtiuitates ueſtras, & apud Eſai. cap. 1. Calendas veſtras, & ſolemnitates ueſtras odiuit anima mea, quamobrẽ, nonnulla, ex multis quę dici poſſent, ſpiritualia præcepta Decurionibus proponam, quibus eruditi, poſsint celebrare dies feſtos Sanctorum Protectorum. In primis igitur mecum recognoſcant, Vigilias dierum, quos dedicauit Eccleſia, ad Diuinam laudem, & merita Sanctorum recolenda, fuiſſe ab ea antiquitus inſtitutas, ut nocte præcedente, poſſent fideles, varijs exercitationibus ſpiritualibus ſe præparare ad feſta celebranda, cum verò, nocturni temporis opportunitas, ſuadente Diabolo, ad turpiſsima quæq; flagitia

eos

eos alliceret, melius exiſtimarunt priſci illi Patres Eccleſiaſtici, ut ſublatis nocturnis conuentibus, vnuſquiſq; domi, atq; inter priuatos parietes, ea faceret ac meditaretur, quibus, melius diſponi poſſet ad Deum, in ſanctis ſuis venerandum. Hoc igitur conſilij capiant Chriſtiani Decuriones, ut aduentantibus feſtis Sanctorum ſuorum Protectorum ieiunio, & abſtinentia, corpus affligant, & expurgent quam diligenter animam, Sacramento pœnitentię, mox, Angelorum ſuauiſsimo pane reficiant, ut promptiores, & paratiores euadant, ad hos internos actus, qui ſubijciuntur. In primis, quo maiore ſtudio poſſunt, ſummis laudibus efferant Diuinam Maieſtatem, quæ potentia, ſapientia, & bonitate ſua, viliſsimos homunculos, tot ac tantis virtutibus decorauit, & ſempiternæ gloriæ præmio, cumulauerit, quod ab ęterno prædeſtinauerit, quod in tempore vocauerit, ad quod pium officium perſoluendum, inuocet Angelos, & Sanctos omnes, vnà cum omnibus Creaturis: Gratias agant Deo, pro omnibus beneficijs in Sanctos Collatis, & illis congratulētur, & quod tales Aduocatos, ſuæ dederit Communitati: quod per eos, multa in eam fuerit operatus: quæcunq; laudabilia dixerunt, fecerunt, cogitauerunt, perpeſsi fuerunt ad Diuinam gloriam teſtificandam, & augendam, in unum faſciculum coniecta, offerant ſanctiſsimæ Trinitati, pro ſua Communitate, ſuppliciterq; petant, ut, ſuo patrocinio complectantur, omnia negotia publica, & omnes Ciues; præcipueq; eos Diuini luminis claritate perfundant, quos, Deus admouit ad

Reip. gubernacula tractanda, ut tanto munere bene perſungantur.

Quomodo debeant Decuriones vti vera liber-tate dicendi.

Quæſtio 72.

PArum prodeſſe poterit, ad publicum bonum tuendum atq; promouendum, quod Decuriones animo prudenter concipiant meliora conſilia, eaq; aptiſsimis verbis, ac ſententijs ſciant explicare, niſi hac dicendi Chriſtiana libertate vtantur, in qua, conſiſtunt nerui, ſpiritus, & uita recti & boni conſilij, qua ſublata, otioſa penitus redditur actio Decurionis: quemadmodum enim, mulier quæ partum initio concepit, niſi tempore debito in lucem edat, minime digna eſt, cui aliæ mulieres congratulentur, ita debet Conſiliarius in tempore atq; loco, libere depromere, quæ rerũ peritia, & ſtudium publici boni, in animo ſuo conceperunt. Hanc equidem libertatem, omnes ſcriptores, qui, abſoluti omnibus numeris, & perfecti Conſiliarij præcepta tradiderũnt, vti valde neceſſariam requirunt, & exigunt. Iuſt. Lipſ. Politicor. lib. 3. cap. 5. Tholoſ. de Repub. lib. 23. cap. 6. Iauſcell. de conſilio Ciuili cap. 4. quam ut conſequantur, opus eſt in primis, ut omni terreno ſpiritu profligato, hoc eſt omni inordinata affectione depoſita, nihil animo concipiant, quod honorem Dei, & publicam utilitatem non reſpiciat; cum enim priuatas cupiditates rationi ſubegerint,

begerint, ſancti ſpiritus auxilio confirmati, ad hanc libertatem animi, & ſermonis peruenirent; Vbi ſpiritus ibi libertas inquit Apoſtol. 2. Corint. cap. 3. Paleot. part. 5. quæſt. 1. ex cuius ſcriptis ſummatim hæc præcepta transferat ad ſe Chriſtianus Decurio. Primum ut ſemper ueritatem ſpectet. Alterum, ut ſibi perſuadeat bono publico profuturum. Tertium, ut habeat, rationem rei, loci, temporis, & perſonarum. Quartum, ut modum adhibeat, non ſemper ęque vehementem. Quintum, ut caueat ab omni aſperitate verborum, à contentione vocis, à vultu, & habitu corporis incompoſito, & ab omni ſuſpicione iræ, & cuiuſcunq; alterius perturbationis. Sextum, ut maximam virtutis exiſtimationem ſibi conciliet. Poſtremum, ut hanc conſuetudinem libere, aperte fideliter, & ingenue loquendi conſtanter teneat, quibus quaſi gradibus, ad ſummum in Repub. auctoritatis faſtigium adſcendet: quò, cum promouente Deo peruenerit, mirum eſt dictu, quantum ſuis conſilijs in dies proficere poterit. Cum tamen imbecillitas humanę naturæ, maximo ſit Decurionibus impedimento, ne hanc valde neceſſariam, & Chriſtianam dicendi ingenuitatem aſſequantur, hoc ſtudioſe ſpectent, atq; enitantur, ut vita, & moribus, adiuuante Deo, ſint emendatiſsimi, ualde enim difficile eſt, ut aliorum errata corrigere audeat, qui ſimili culpa ſit contaminatus, ut elegantiſsime ratiocinatur Paleot. in concluſ. dicti lib. memb. 3. vbi adducit aurea verba Sancti Proſperi, lib. 1. de vita contemplatiua, quæ, operæ pretium duxi

adſcribere, in gratiam illorum, ad quorum manus liber tanti Cardinalis non peruenerit. Sumptuoſis, inquit, dapibus crudus, non poteſt abſtinentiam laudare; quam calcat. Vitio cupiditatis addictus, cupidis, amorem pecuniæ non poteſt diſſuadere. Inimicitiarum tenax, non ualebit animos diſsidentium componere. Iuſtitiam prædicare Iudicibus erubeſcit, quam, ipſe fauore corrumpit, & quidquid mali facit, aut boni non committit, nec iubebit fieri, nec vetabit, quia, neceſſariam dicendi auctoritatem contrarietate actionis ſuæ corrumpit. Quod verò ſupradixi, amorem cuiuſq; proprium, qui, in animis Decurionum altas radices habet, huic Chriſtianæ libertati mirifice obſtare, ſubijcio euidentiſsimum iudicium ad illum cognoſcendum, quando ſcilicet Decurio, in priuatis congreſsibus atq; ſermonibus, maximò ſe deſiderio publici boni commoueri ſentiet, quando publica incommoda deplorabit, quando labenti communitati opem ferri exoptabit, in publico vero Conſilio, in quo deberet ea proponere, & ab alijs propoſita libere comprobare, quibus Ciuitas recte adminiſtretur, cognoſcet ſe potius frigeſcere; & illum ardorem animi, quem extra Conſilium profitebatur, eſſe conſopitum, & extinctum, quæ vbi in ſeipſo animaduertet, non deſinat preces Deo fundere, ut animi diuinum robur ſibi impartiatur, quò, tot prauas affectiones poſsit ſuperare, neq; vereatur cuiuſq; Ciuis voluntatem offendere, ubi, publici boni, & ſui muneris ratio ita requirat, quod ut alacriter faciat, recordetur illius grauiſsimi Senato-

hatoris Coriolani, de quo Hippol. à Collib. in ſuo Conſiliario, ita ſcribit: Cum de frumento ex Sicilia Romam aduecto, in Senatu aliquando ageretur, an gratis, an uili, an magno pretio plebi diuenderetur, inter alios, M. Coriolanus extitit, qui aduerſus plebem, grauem dixit ſententiam, Nihil per largitionem populo tribuendum. His artibus, petulantiorem, ac laſciuiorem effici. Satius hunc eſſe vel cariore annona domari, uel reprimi: quò fieret modeſtior ex neceſsitate, & ad Ciuilia munera obeunda paratior. Agros, hac iniuria, non ſeditiones colat, deſidia, otio, ac luxuria maxime, quæ ex copia, & inerti abundantia naſcitur, iura, leges, inſtituta negligi: Sed tribuni plebis, qui in Senatu illum audiuerant, ad populum referunt, à quo, ſine mora, dies Coriolano dicitur. Verum, quantum ad hanc accuſationem attinet, licet populo infēſo vteretur, eam facilime diluit; Agnouit enim plebs, Coriolanum, nihil præter officium feciſſe. Vbi enim loquendi vlla licentia, ſi non in deliberando, & dando conſilio?

Si Decurio velit iuſta cauſa hoc munere ſe abdicare, cui ſit renuntiandum.

Quæſtio 73.

AD hanc quæſtionem enucleandam, illud premittendum eſt, iure communi neminē admitti poſſe ad Patriam ſuam gubernandam ſinè licentia Principis, & confirmatione l. final. vbi Rebuff. C. de officio Rector. Prouinc. Mon-

tanar. de Adminiſtr. vniuerſitat. Pragmat. 2. nu. 257. Lancellot. Conrad. de Decur. nu. 23. verèq; dici, Decurionem habere auctoritatem, & Officium à Principe confirmante, non à Communitate eligente. Auendan. de Exequend. mandat. Reg. lib. 1. cap. 19. ver. facta autem electione perſonarum. Angel. in Auth. de defenſor. Ciuitat. §. Decreto: quibus preſuppoſitis, conſequitur Decurionem debere renuntiare Officium in manibus ſuperioris qui confirmauit. Angel. ubi ſup. Iaſ. in l. more maiorum nu. 31. ubi Purpurat: nu. 77. ff. iuriſdic. omni iudic. Pariſ. de Put. in trac. de Sindicat. ver. Electio Officialium. cap. 3. nu 4. quibus conſequens fit, me, & nonnullos alios in magno errore fuiſſe aliquando verſatos, ſupplicando Conſilio minori Communitatis noſtræ, ut ex albo Decurionum deleremur: nam, ſi Conſilium maius, quod nos elegit, non habet eiuſmodi auctoritatem, multò minus poſſent Deputati ſingulorum menſium, iſtas renuntiationes acceptare, quod uerò dixi neceſſariam eſſe confirmationem Principis, ita declarandum eſt, ut ſi non ualeret electio, non ualeret etiam confirmatio, niſi Princeps confirmaret ex certa ſcientia, ut in puncto ſcriptum reliquit Georg. Cabed. decis 84. num. 4. libro 2.

An

An Ciuis emendatus præferri debeat, illi, qui numquam male audiuit.
Quæſtio 74.

HAec queſtio vniuerſaliter intellecta, non poteſt una concluſione definiri, ſi enim ageretur de eligendo Ciue ad id muneris, quod, miſericordia, & lenitate animi eſſet exercendum, videtur in eam ſententiam frequentius iri, aptiorem eſſe eum, qui, in ſeipſum, fuerit Diuinam miſerationem expertus, quod ſanè conſiderauit Chriſtus Seruator noſter, cuius actiones omnes diriguntur ad noſtram inſtitutionem, dum, Petrum à peccato emendatum, uniuerſę Eccleſiæ præfecit, tanquam enim bonus paſtor gregem tuendum ſuſcepit, ut, qui ſibi infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, ut inquit Summ. Pontifex, in cap. fidelior, 50. Diſtinctio, vbi glo. in uer. gratiam huiuſmodi regulam conſtituit: & in cap. ſi forte in fin. ver. vel præferatur ille qui quandoq; deliquit, Diſtint. 63 Felin in cap. eam te, nu. 26. de reſcrip. Cagnol. in l. cum quid nu. 52. ff. ſi cert. petat. Roman. in ſing. 732. Io. Secura Daualos in Directorio Iudicis Eccleſias, Part. 1. cap. 8. num. 8. de quo Ciue emendato, illud in propoſita facti ſpecie dici poteſt, quod, quemadmodum tenetur erga Deum, O. M. ad maiorem gratiarum actionem, ut probat D. Thom. 2. 2. quæſt. 106. Artic. 2. Carthus. in ſumm. fidei lib. 3. Articul. 171. Ita credendum eſt, maiore & alacriore ſtudio ad publica negotia fore acceſſurum, quod in illis De-

curionibu s etiam contingere poteſt,qui, iudicio & literis præſtantiſsimi, quodam impetu iuuenili, & vehementia,plus æquo ſe nonnunquam efferentes, multorũ voluntates offendebant, hi enim poſtea ætate prouectiores, experientia cautiores facti, mirum eſt dictu, quos fructus optimorum conſiliorum, & Ciuilis in Patriam charitatis poſſent exhibere,ab omnibuſq; bonis,ſummam laudem cum gratia coniunctam promereri.

An Decuriones poſſint participare in ſubhaſtationibus rerum ipſius Communitatis. Quæſtio 75.

NOn eſt quod admodum elaborem in præſenti queſtione diſcutienda,quæ,multis & apertis iuribus literaliter definitur, eſt enim explorati iuris prohibitam eſſe huiuſmodi participationem. l. ſi in emptione. §. final. ff. de contr. empt. quæ loquitur non ſolum in tutore, uerum etiam in omnibus alijs adminiſtratoribus. l. cum ipſe C.eodem.l.1.§. quod quis ff. de adminiſtr. rerum ad Ciuitatem pertinentium.l. Curiales C. locati Rom. conſ. 109. Alex.conſ.4.nu.6.lib. 4.iſtaq; tacita intelligentia reprobatur in incantibus, etiã ab Alex. Raud.conſ.50.nu. 540. lib. 1.quæ diſpoſitio iuris Ciuilis tendit ad remouendam ſuſpicionem fraudis, quæ à Decurionibus committi poſſet, curantibus, rem ſubhaſtatam deliberari quibus uellent,quò fit,ut neq; etiam per interpoſitam perſonam poſsint participare. l. pupillus, §. idem ipſe tutor, &§. ſed & ſi per interpoſitam

ff. de

ff. de author. tutor. ubi Alber. & alij, quia hoc modo indirecto facerent fraudem legi, de perſona ad perſonam. Gloſ. in d. §. ſed & ſi per interpoſitam, quæ ſanè ſuſpicio fraudis fuit pariter conſiderata in noſtris Ordinibus, qui prohibent hanc participationem de qua infra. Vnde conſequitur, in foro conſcientiæ non peccaturos Decuriones, bona fide, & ſine damno communitatis participantes, quoniam, ut ſæpius inculcaui in Tract. de Aduoc. Chriſtia. leges Ciuiles fundatæ in aliqua preſumptione, non obtinent in foro cõſcientiæ, in quo, veritas pręponderat cuicunq; præſumptioni; quod proculdubio admittendum eſt in hac ipſa iuris tractatione, in qua ipſæmet leges Ciuiles non improbant has participationes manifeſtas, & optima fide factas. Gloſ. in d. l. ſi in emptione, §. final. ver. non poteſt. Bar. in Auth. quibuſcunq; C. de Sacros. Eccleſ. And. de Iſern. de feudo guardiæ, nu. 10. quod præcipue probarem quando plures Decuriones interuenirent ad ſubhaſtandum, quorum præſentia multũ faceret ad ſuſpicionem diluendam, ut in puncto conſiderat And. vbi ſup. quæ ideo commemoraui, quod Foller. in Pragmat. de Adminiſtr. vniuerſ. cap. 6 nu. 23. exiſtimauit, non poſſe participare Decuriones ſubhaſtantes, etiam palam, & bona fide, ubi iure municipali prohiberetur participatio per interpoſitam perſonam, directe uel per indirectum: nam de illius traditione dubitat Montan. Pragmat. 5. § 6. nu. 4. & obiter animaduerto noſtrum Commiſſarium publici patrimonij, prohibitum eſſe participare ſimpliciter his

verbis,

verbis, nè participarà in alcuna impreſa della Città. Qua etiam loquendi forma vtitur, Ordo, de Officio conſeruatoris Ordinum in fine, quo fit, ut etiam attenta opinione ac diſtinctione Foller. poſſent hi noſtri Miniſtri participare palam, & bona fide, ſcientibus, & patientibus illis, quibus ſpectaret ius deliberandi. Addo etiam quod ſi publici Adminiſtratores fuerint hæredes conductorum, non prohiberetur eis huiuſmodi participatio. Gloſ. in l. 1. §. quod quis ff. de adminiſtr. rer. ad Ciuitat. pertinent. l. decurio. ff. de Decur. Montan ubi ſup nu. 19. Foller. nu. 25. quia ceſſaret omnis ſuſpicio fraudis.

An aliquo caſu, poſſint Decuriones permittere, ut Officiales Communitatis biennales, continuent in eodem officio, abſq; interuallo quinquennij.
Quæſtio 76.

IVre communi, & municipali conſtitutum eſt, poſſe Officiales in eodem officio continuare, ſed vacare debere per certum tempus, habita ratione munerum, vt hoc libro dixi: nunc addo, eo caſu permiſſam eſſe continuationem, quando alij idonei non reperirentur, uel quādo, utilitas Reipub., id expoſceret, veluti, ſi aliquod grauiſsimum negotium inchoatum haberent præ manibus, quod ipſi, & non alij, poſſent perficere, ut ſemel fecit Conſilium noſtrum generale, de Præfectis Fabricæ maioris Eccleſiæ, inter quos ego ſedebam: ita deciſum fuit in Senatu Neapolitan. apud Franc. deciſ. 210. Montanar. in ſæpe citatis

tis commentar. de adminiſtrat. vniuerſitat. §. 16. nu. 5. Quid vero dicendum foret, ſi confirmatus non contradiceret, ſed libens, retineret officium, videatur idem Franc. deciſ. 264. qui diſtinguit, inter munera, quæ exercentur cum ſumptu, & ea quæ non exigunt ſumptum, ut ſcilicet primo caſu, vacatio quinquennij reſpiciat commodum Ciuis electi, qui propterea poſsit renuntiare ſuo fauori, & continuare in officio: ſequitur Montanar. vbi ſup. nu. 6. Io. de Plat. in l. 1. C. de muner. non continuand. qua de re copioſe agit etiam Crauett. in conſ. 459. nu. 6. vbi & ipſe diſtinguit qualitates munerum, ad hoc vt volens poſsit acceptare confirmationem, licet in ſpecie, & formaliter non loquatur, iuſta diſtinctionem Franch. adde, quod, quæ dicuntur de officialibus Communitatis, obtinent etiam in ſuis Legatis, ſiue Oratoribus. Martin. Laudens, de Legat. Princip. quæſt. 4. quamobrem, ſtante ſtatuto, quod nullus poſsit gerere duo officia in Communitate, poterit officialis, excuſare ſe à munere legationis, quod vellent ſibi Decuriones iniungere. Alberic. queſt. 160. part. 2. ſtatutor.

Si in aliqua Ciuitate ſit vnus Iudex Criminalis; & alter Ciuilis, quis eorum habeat auctoritatem conuocandi Concilium, & illi præſidendi.

Quæſtio 77.

IN Ciuitate noſtra, Pretor Senatorij Ordinis, habet duos Aſſeſſores, vnum cauſarum Ciuilium, quem Vicarium dicunt; alterum, Criminalium;

lium: inter quos, abſente Prętore, ſi huiuſmodi controuerſia oriretur quam ſuſcepi tractandam, iuſtior mihi videretur petitio Vicarij: qui, habet latiorem, & ampliorem iuriſdictionem, & ob id, non ſolum iure, verum etiam conſuetudine præcedit Iudicem maleficiorum: ad quam queſtionem, conferunt, quæ ſcribit Montanar. de adminiſtrat. vniuerſitat. Pragmat. 2. nu. 282. Vincent. Franc. deciſ. 388. nu. 3 lib. 2. Caſſan. de Glor. mund. Part. 7. Conſiderat. 26.

Vtrum Decuriones poſſint vnum ex ſeipſis ad aliqua officia eligere.
Quæſtio 78.

IVre communi certum eſt, poſſe Conſiliarios eligere vnum ex ſeipſis ad publica officia, uel negotia pertractanda, ſiue officia ſint oneroſa, ſiuè habeant tantummodo honorem annexum: glo. in l. 2. C. de Decurio, lib. 10. Io. de Plat. in l. nominationum col. 2. C. eodem. glo. Bal. Paul. in l. planè ff. quod cuiuſq; vniuerſitat. minime tamen verum eſt quod affirmauit glo. in d. l. planè, neceſſario, eſſe eligendum ex ordine Decurionum: quia etiam ex alijs Ciuibus poteſt fieri electio, ut inquit Alberic. in d. l. planè, quam legit cum l. nulli: & in l. in Eccleſijs C. de Sacroſanctis Eccleſ. ex quibus patet ſtatut. noſtrum, cap. 32. de Regenda Ciuitate repugnere iuri communi: dum prohibet quod nullus de conſilio eligatur ad aliquod officium, quod inſuper intelligi debet iuxta ius comm. quando ſcilicet extra conſilum

reperitur

reperitur aliquis idoneus. Lancellot. de Decur. nu 64. An autem Decurio nominatus computari poſsit in numero eligentium, veluti, ſi adeſſent tredecim Decuriones in conſilio, & ſex eligerent vnum ex ipſis, numquid ille poſsit conſentire electioni de ſe factæ: videri poterit Abb. in cap cum in iure, de electio. Io. de Annan in cap. Eccleſia veſtra, de Sortileg. Franc. Marc. deciſ. 929. Polidor: Rip. Obſeruat. 73 Licent. Piſan. lib. 2. cap. cap. 10. & ſeq. ubi poſt Abbat. in d. cap. cum in iure, diſtinguit inter electionem quę fit per uiam ſcrutinij manifeſti, & illam quæ ſecretis ſuffragijs, perficitur: in prima enim, poterit Decurio conſentire electioni de ſe factæ, & eius uox computabitur in numero eligentium, quia, accedendo ad uoces aliorum manifeſtas, non poteſt uocari in ſuſpicionem alicuius ambitionis: quando verò agitur de ſecreta electione, non poteſt ſcire an ab alijs fuerit electus, proinde ſua vox non attenditur: cum qua diſtinctione tranſit Marc. d. deciſ. 929. quod tamen ita accipiendum eſt, ut poſt ſecreta ſuffragia collecta, & mox publicata poſsit Decurio conſentire ſuæ electioni, & augere voces eligentium; id quod obtinet in omni materia, & valde vtile eſt Decurionibus, & alijs perſonis Collegialibus, ut in concurſu illorum qui non ſint de illo Ordine, poſsit ubi opus fuerit, uoces aliorum augere, ubi, ex iſto augmento, perficiatur maior numerus eligentium, ut egregie declarat Caualcan. deciſ. 40 nu. 6. & nu. 10. cum ſeq. lib. 1 Cepol. caut. 96. arbitror tamen hanc controuerſiam, in Conſilio noſtro non poſſe contingere, quoniam memo-

memoratum ſtat: prohibet etiam, ne quis, poſsit hoc modo conſentire: quatenus verò loquitur de electione ad officia, compræhendit etiam Legationes, quia, nomine officij continentur. Martin. Laud. in tractat. de Legatio. Princip. quæſt. 4. ad quam queſtionem principalem videri poterit Bal. de ſtatut. ver. Eligere.

Quomodo ſe gerere debeat ile Decurio, qui ad plura negotia, quam alij, adhibeatur. *Quæſtio 79.*

IN proxima queſtione, conatus fui, ſalutari admonitione confirmare illorum animos Decurionum, qui ęgre ferunt, nonnullos alios, ingenio, doctrina, uſu, ac dexteritate præſtantiores, frequentius à Communitate, negotijs, & muneribus occupari: nunc, e conuerſo ſuccurrendum eſt infirmitati illorum, qui, nimio fauore Conſilij abutentes, arroganter inſultant ceteris, & odio onerantur: quos ideo amantiſsime hortor in Domino, ut propriam nihilitatem pie ſemper ac deuotè meditentur, nihilq; in ſeipſis recognoſcant, quod Diuinæ bonitati, non ferant acceptum, quæ cum ſit non ſolum Creatrix, verum ēt gubernatrix omnium Conſiliariorum, dicant mihi quæſo, quid præceteris ab ea fuerint promeriti, ut tot ac tantis beneficijs cumulati, florerent hominum gratia, & celebritate nominis commendarentur? ſtudeant ergo Chriſtiana demiſsione animi ſui ipſorum omnem exiſtimationem abijcere; neq; aliquam cupiditatem publici negotij curandi

animo

animo concipiant, nec vllo modo ſignificent. Sed inuiti, & modeſti vocentur ad publica munera. Placent enim illi, Cornel Tacito, lib. 5. Hiſtor. qui, ſpecie obſequij regunt, & ad omnia quæ agēda ſunt, quieta cum induſtria adſunt, ut refert Lipſ. Politicor: lib 3. cap. 5. ad quam exteriorem modeſtiam comparandam, neceſſaria eſt interior animi ordinatio; qua, Diuinam Maieſtatem ualde delectari, ſancti uiri ſæpe confirmant: quod ſi, hanc utilem præceptionem neglexerint, incident proculdubio in illa incommoda quibus apud Plutar. in Politic. afficiebatur quidam Timeſias Clazomenius, de quo in hunc modum ſcribit,

„ Contrà, Timeſias Clazomenius, uir alioquin de
„ Repub benemeritus, non animaduertit, ſe, quod
„ omnia ſolus ageret, in inuidia eſſe & odio apud
„ ſuos, donec, tale quippiam ei vſu venit: Timeſia
„ prætereunte, eorum alij dicebant, non excuſſum
„ iri talum, qui verò illum excutiebat, vtinam in-
„ quit, ita Timeſiæ cerebrum excutiam, ut hunc ta-
„ lum excuſſero: quo audito, Timeſias, intelligens,
„ odium ſui, omnium animos peruagari, domum
„ reuertit, ac vxori, re expoſita mandauit, ut omni-
„ bus rebus conuaſatis ſe ſequeretur; quod genus
„ Conſiliariorum, ambitioſum vocat, ac repræhen-

dit grauiſſimis ſententijs Lottin. Admonitio. 242. valdeq; corrumpitur bonum publicum, ab illorum cupiditate immoderata; propterea quod cæteri Decuriones, tantæ eorum ſuperbiæ impatientes, quandoq; minus idoneis publica mandant negotia, vt eos, ex poſſeſſione Communitatis adminiſtrandæ, qua, ſoli potiebantur, hac

ratione,

ratione, iniqua quidem, ſed neceſſaria deturbent quamobrem, cum in omni Repub. præclara facinora, & res egregie geſtæ, graues calumnias conflare ſoleant, prouidè facturos admonet Lentius obſeruat. Politic. 52. qui, ob nimiam gloriam, populo minus grati ſunt, ſi aliqua ratione honeſta ſe ſubducant, & illũ æſtum animorum deflagrare ſinant, donec, aliquid eiuſmodi interueniat, quod illorum deſiderium ſit excitaturum.

Quomodo ſe gerere debeant Chriſtiani Decuriones cum videant, unum vel plures, ad omnia fere munera, & negotia adhiberi.

Quæſtio 80.

NIhil eſt tam flexibile, quam uoluntas Ciuium erga nos, qui, non ſolum in malefactis iuſte ſuccenſent, ſed etiam in benefactis ſæpe faſtidiunt, ut aliquando Cicero pronuntiauit; quamobrem, multos, grauiter, & ſæpe indignatos animaduerti, cum viderent, unum ex Decurionibus, ad tantum exiſtimationis, & gloriæ Ciuilis faſtigium perueniſſe, ut ipſe ſolus omnia agere videretur, cum bene aliqua faceret, inuidia, cum malè, gaudio commouebantur, & in eum vſurpari poterat, quod ſcribit Plutar. in Polit. de illo Metiocho, Metiochus Prętor eſt: Metiochus, viarum Procurator. Metiochus, emit panes; Metiochus, farinam diſtribuit. Metiochus omnibus pręeſt; Metiochus, igitur plorabit, de quo Metiocho, qui maxima propterea inuidia flagrabat,

agit

agit etiam Io. Baptiſta Lent. Obſeruat. Politic. 51. Hoc igitur conſiderent velim, omnes Conſiliarios, tanquam ſecundas cauſas & inſtrumenta à Diuina prouidentia adhiberi, ad Reipub. adminiſtrationem exercendam: quò fit vt iniquo animo minime ferre debeant, ſi Deus, occulto, & iuſto iudicio ſuo aliquorum opera ſæpius vti malit: nec aliud illis optandum eſt, quàm, ut Ciuitas bene gubernata, Ciuilem fœlicitatem conſequatur: in hunc locum transferenda ſunt, quæ adduxi in tractat. de Aduocat. Chriſtiano, part. 2. in Conſolat. ad Aduocatos afflictos, ex D. Io. Chriſoſt. Homil. 3. in primam Epiſtol. Paul. ad Timot. qui ita ſcribit: Dic enim quæſo, ſi quiſquam medicus, filium habens cæcitati proximum, ipſe nihil remedij adhibere poſſet, alium verò fortaſſe reperiret, qui hoc poſſet, num illum repelleret? nequaquam. Sed diceret, ſiue per te, ſiue per me ſanitas contingat, nihil refert. Cur ita? quia non querit quæ ſua ſunt, ſed ſanitatem filij perſequitur, ita & nos, ſi toto animo Chriſtum amaremus diceremus profectò, ſiue per nos, ſiue per alios, quod expedit fiat, nihil ad rem.

An Decurio qui fuit relegatus ad tempus, deſinat eſſe Decurio, & reuertens, recuperet ſuum locum. Quæſtio 81.

HAec queſtio formaliter deciditur apud I. C. in l. 2. ff. de Decur. his verbis: Qui ad tempus relegatus eſt, ſi Decurio ſit, deſinit eſſe Decurio. Rurſus planè locum ſuum non obtinebit,

deniq; in locum ſuum non reſtituetur, de quo tex meminit Lancellot. de Decur. nu 14. Sed mihi placet diſtinctio allata per Odd. de reſtitut. in in teg. quæſt. 96. nu. 21. quod ſcilicet in illo Ordine, qui habet certum numerum limitatum, ſi in locum relegati vel banniti, fuerit alius ſuffectus, tunc non recuperet locum, & ita declarat traditionem Bar. in d. l. 2. qui teſtatur, huiuſmodi quęſtionem accidiſſe Bononiæ, de qua queſtione agit Iaſ. in l. Gallus §. & quid ſi tantum. nu. 71. ff. de liber. & poſthum: Cagnol. in l. cum quid nu. 59. ff. ſi cert. petat. Menoch. de adipiſcend. poſ remed. 10. nu. 106. cum ſeq. quibus addo Brunor. à Sole quæſt. 19. nu. 7. Iacob. Ben. de priuileg. iuriſconſ. priuileg. 10. nu. 4.

Quid præcauere debeant, qui nominant alios ad publica munera, Quæſtio 82.

INter alia Decreta noſtræ Communitatis, cautum reperitur, vt ad publica officia, ſaltem tres idonei nominentur; ut poſsit Conſilium maius, uel minus, ex eis eligere, quem aptiorem putauerit, atq; meliorem qua in re, maximas ſæpe fraudes in publicum damnum obſeruaui, ubi enim, animo conſtituerint nominatores, aliquem ſibi coniunctum amicitia uel ſanguine Officio præficere, cum illo nominant alios duos penitus inhabiles, ut cogantur electores, in eum, quem optant nominantes, conſentire: quæ ſanè nominatio, non poteſt iure ſuſtineri, quia, perinde eſt, ac ſi illum ſolum, cui fauere cupiunt nominaſſent,

ſent, nulla habita ratione inhabilium.l.1 §.quod ſi nemo,ver. & quidem non eſſe actorem vel ſindicum,tunc quoq; intelligimus,cum is abſit,aut valetudine impeditus, aut ſit inhabilis ad agendũ, ff. quod cuiuſq; vniuerſitat. facit tex. in l. ut gradatim in princip ff. de muner.& honor ver.ſi ſint idonei:& quamquam, illa qualitas, Idonei, non fuiſſet expreſſa in ordinibus memoratis,tacite tamen à iurè ſubintelligeretnr, quia unaquæq; diſpoſitio recipit declarationem de habilitate: d. l. ut gradatim. Crauett. in conſ.509. nu.13. Bar.in l.2. ff. qui ſatiſdar:cogant. Ruin. in conſ. 41. nu. 21. lib. 1. quamobrem, licet adhererent verbis ſtatuti, non ſatisfaciunt tamen menti.

An negligentia Decurionis in rebus publicis, excuſetur per negligentiam in proprijs.
Quæſtio 83.

QVamquam verum ſit quod ſupra dixi,neminem eſſe aptum ad Rempub. gubernandã, qui ſuam familiam regere neſciat,non eſt tamen inde ſumendum argumentum, ut quod vnicuiq; licet in re familiari adminiſtranda, permittatur etiam in rebus communitatis procurandis: quia,iure dominij quod habet in rebus ſuis, poteſt illas donare,negligere,dilapidare, Decurio verò, tamquam tutor publicus, atq; adminiſtrator, habet auctoritatem à lege limitatam, ut declarat Bar. in l. ambitioſa ff. de Decret. ab ordine faciend. Io. Paul. Montan. in Pragmat. de adminiſtrat. uniuer.§. 13. nu. 10. quamobrem, ad

excuſandum Decurionem à negligentia non ſufficit, quod ita etiam in proprijs verſari ſoleat: Gomeſ. in Compen. cas: negligent, nu. 142. nec in eo qui iurauit ſemper facere, & curare maius bonum Ciuitatis, præſumitur negligentia Crauett. in conſ. 930. nu. 10. lib. 5. & in conſ. 627. nu 7. An autem excuſentur Decuriones, qui ſe geſſerunt iuxta conſuetudinem aliorum. Montanar. ubi ſup. §. 12. nu. 11. quæ negligentia Decurionum adhibita in re, non leuis momenti conſtituit eos in culpa mortali. Plot. in l. ſi quando nu. 216. C. vnde vi. Caualcan: de tutor, nu. 114.

Quo remedia facile poßent Decuriones in officio contineri.

Quæſtio 84.

AD omnem publicam adminiſtrationem recte gerendam, opus eſſe præmio, & pœna, nemo eſt, qui non legerit, non audiuerit, re ipſa expertus non fuerit: quando enim recte factis, debita præmia, ſaltem honoris, & laudis non cōſtituuntur, uel quando, perditis, & iniquis Ciuibus ea conceduntur, quę, debentur bonis, uel quando, contra improbos, nihil durius, reliqui Conſiliarij audent decernere neq; loqui, neceſſe eſt, ut tota Reſpub. tandem corrumpatur, ac deprauetur: Palear. ad Cornel. Tacit. Obſeruat. 60. Stob. de Repub. Sermon. 43. part. 1. Grimal. de optimo Senator. lib. 1. & infiniti alij qui adiungi poſſent: quod cum optime intelligerent priſci il-

li Ro-

li Romani, à quibus, Reipub. bene adminiſtrandæ præcepta petuntur, lege Sanxerunt, ut ubi gra-uioribus pœnis non utendum putarent, male facta Ciuium, in libris publicis hac nota ſcriberentur, Improbe factum videri: quam ſempiternam ſuæ improbitatis memoriam, publicis tabulis, & publico Decreto conſignatam, adeò timebant, vt eius metu, plerunq; in Officio continerentur: Scipio Ammirat. ad Cornel. Tacit. lib. 20. cap. 5. Ego certe intimis ſenſibus excrucior, & angor, cũ videam in publicis Conſilijs multos reperiri, qui, quantumuis leuia, & exigua amicorum in Patriã merita, non commemorare ſolum, uerum etiam amplificare ſtudent atq; augere, & hortari alios, vt magnis remunerationibus, liberaliter proſequantur, ut peculiari quæſtione ſuo loco diſputabo: vbi verò, aliquis in publicis rebus male verſatus fuerit, omnes quidem illum in priuatis ſermonibus carpunt, & maledictis inſectantur, in Conſilio verò, ubi ſtudio publici boni loquendũ eſſet, turpiter ſilent, neq; audent hiſcere: quod ſi, hunc antiquum, & laudabilem Romanorum morem renouarent, Improbè acta notandi, nemo, ut opinor eſſet honoris cupidus, qui in publicis negotijs tractandis, Patriæ ſemper commoda, priuatis rationibus non anteferret. Hoc etiam ſaluberrimo remedio obtineri, & perfici poſſet, ut Conſiliarij in Conſilium vocati venirent, nempe ſi nomina eorum, qui ſine legitima cauſa abfuerunt, in publicum codicem refferrentur, hac nota notati, ſed citati prius ad allegandum, in forma, &c. Nomina Decurionum, qui, erga Patriam in-

grati, Conſilio non adfuerunt : Huic enim grauiſsimo morbo, quo, omnes ferè communitates affliguntur, nimiæ videlicet negligentiæ Decurionum in Congregationibus obeundis, peregregie conſuleretur, cui ſanè, niſi medicina adhibeatur, impoſsibile eſt ut hæc corpora Ciuilia quæ Ciuitates appellantur, poſsint conſeruari. Ferè id fieri ſolet in omnibus Rebus publicis, in-
„ quit Lentius Obſeruat. Politic. 112. vt quoties de
„ grauioribus rebus conſultatio inſtituitur, Se-
„ natores numquam ſimul, aut iuſsi coeant, aut
„ ubi poſt multam cunctationem, ægre tandem in
„ vnum conuenere, tum quoq; exiguum temporis
„ momentum rebuspublicis impendunt, partim
„ quia, omnes cogitationes rebus ſuis priuatis in-
„ tentas habent partim quia, vnuſquiſq; nihil de-
„ trimenti ex hac ſua negligentia atq; abſentia ca-
„ perę Rempub. putat; dum alios ſperat fore, qui
„ ſuo loco, publica negotia ſint curaturi, &c.

Quod Decuriones qui non interfuerunt Conſilio, non debeant eius acta repræbendere.
Quæſtio 85.

IMprobè faciunt illi Decuriones, qui, in priuatis ſermonibus coargunt acta Conſilij, atq; reprę hendunt: reliquus enim populus, tutelæ Decurionum commiſſus, animo atq; indignatione commouetnr, cum audit ex eorum numero, qui iactent rerum publicarum adminiſtrationem peſſimam: quo fit, ut loco eius reuerentiæ atq; obſeruantiæ, quæ debetur Decurionibus, uti Patriæ pa-

rentibus,

rentibus, ac tutoribus publicis maximus contemptus ſuccedat, & inde nonnumquam ſumatur occaſio, ad Principes, vel Magiſtratus referendi, quæ, emendatione digna videntur; cum tamen re vera, publici boni ratione commendanda forent: atq; ita, in multas peccatorum ſpecies incauti delabantur: quorum immoderatam loquendi libertatem, ut coerceret Demoſthenes, omnium Scriptorum fama atq; teſtimonio Orator celeberrimus, huiuſmodi argumento vtebatur, ut refert Georg. Trapezunt lib. 3. ſuę Rethor. Aut, dicebat ille, tu interfuiſti Conſilio, Aut non: ſi non interfuiſti, non debes id imprudenter reprehendere, cuius rationem ignoras: debebasq; pro munere tuo publico adeſſe, & ea ſuggerere, quæ meliora putas. Si verò interfuiſti, quare tacuiſti? quod ſanè præceptum, operæ pretium duxi vt explicaretur, quia, vſus me docuit, eſſe valde neceſſarium.

Quod Decurio Chriſtianus eniti debeat, ut factis, omnes qui ſecum agunt, uel verbis conſoletur. Quæſtio 86.

EST in more poſitum apud Principes viros, ut ſupplicibus libellis, omnes eos alloquantur: quod ideò fuit in vſum introductum, ne aliquis ab eorum auguſtiſsimo conſpectu, triſtis diſcedere poſsit, ſed aliqua ratione ſibi ſatisfactum putet: Scipio Ammirat. ad Cornel. Tacit. lib. 4. cap. 9. Veruntamen, omnes Decuriones, qui in diſciplina Chriſtiana proficere cupiunt, hoc ſibi

perſuaſum habeant, pręcepto charitatis iniungi, vt de aliqua re rogati, ita ſe gerant, ut ſi non factis, at ſaltem verbis humaniſsimis ſatisfaciant, quod equidem præceptum exhauſi ex puriſsimo fonte ſcriptorum Ludol. de Saxon. de vita Chriſti
„ Part. 1. cap. 35. ubi hæc verba leguntur. Sed quo-
„ niam parum eſt non nocere, niſi etiam præſtet
„ beneficium quantum poterit, conſequenter ad-
„ iungit Dominus, Omni petenti te tribue, quaſi
„ diceret, ita debes eſſe patiens in aduerſis, ſed &
„ compatiens in alienis. Non dicit quid tribuen-
„ dum, quia, non ſemper res eſt danda, ſemper ta-
„ men dandum eſt, ſaltem bonum reſponſum. Qui
„ ergo in neceſsitate ſua, petit à te rem corpora-
„ lem, uel ſpiritualem, da ei donum, uel verbum,
„ ſi enim rationabiliter petet, tribuendum eſt do-
„ num quod petit, vel de præcepto, cum in extre-
„ ma neceſsitate poſitus, omnino indiget, uel de
„ conſilio, cum petens aliter tranſire poteſt, & hæc
„ eſt elemoſina corporalis: Quod ſi tibi deeſt fa-
„ cultas, da affectum, & bonã voluntatem, & bonũ
„ reſponſum: Si autem irrationabiliter petit, dan-
„ dum eſt verbum, docendo eum de irrationabili-
„ tate ſuæ petitionis, & de cauſa iuſtæ negationis,
„ vt eum non inanem dimittas, & hæc doctrina, eſt
„ pars, & opus iuſtitiæ, & elemoſina ſpiritualis, & ſi
„ iſtè non accipit id quod petit, accipit tamen
„ quid melius, hoc eſt correctionem. Hoc equidem vſu difficilimum in ſeipſo aliquando experiebatur, cum multis, ſanctiſsimus Carolus Borromeus quibus, ubi aliquid iuſtiſsime negabat, non ipſa recuſatio, ſed recuſationis ratio diſplicebat.

Omnia

Omnia tamen poſſumus, Apoſtolo teſte, in eo, qui nos adiuuat atq; confortat Seruatore noſtro; cuius meritis, omnes virtutes, nobis cupientibus atq; elaborantibus, Omnipotens Deus poteſt elargiri: His addendum puto, minime decere Chriſtianum Conſiliarium dilatis promiſsionibus aliquem ludificari, non ſolum quia hilarem & promptum datorem diligit Deus ſed etiam, quod, Animi nobiles, & generoſi, malunt ſibi pręcidi ſpem, quam diutius trahi: Senec. lib. 2. de benefic. quod genus hominum qui nimis tarde beneficia conferunt, grauibus verbis reprændit Palear. ad Cornel. Tacit Obſeruat. 167. quia, animus ſperantis beneficium, in tædium adductus, incipit odiſſe illud.

De Decurionibus electis ad ſuffragia numeranda. Quæſtio 87.

QVemadmodum priſci illi Romani, Reipub. gerendæ peritiſsimi, eligebant, qui ſuffragijs numerandis aſsiſterent, & appellabant, cuſtodes ſuffragiorum, ut ſcribit Nicol Grucch. de Comitijs Romanor. ita in omni bene conſtituta Communitate, nonnulli huic muneri præficiuntur, ut videant ſuffragia, quę, ex Buſſolis educuntur, mox, referant Cancellarijs, qui rogari debent: & apud nos, vulgari Idiomate vocantur, Aſſiſtenti alle Ballottationi: quos hortor, ut fideliter hoc munere fungantur, aliquando enim audiui, eos falsò retuliſſe, aliquod partitum fuiſſe obtenſum, quod re vera fuerat repudiatum; vel aliquē

ad aliquod Officium fuiſſe electum, qui fuerat maioris partis ſuffragijs penitus excluſus: qua in re mortaliter peccant, ac tenentur Communitati ad damna reficienda, quorum delictorum grauitatem, non eſt qnod longiore oratione enitar comprobare, cum per ſe pateat.

Qua ratione poſſit confirmare animum ſuum Chriſtianus Decurio, ad publicum negotium exequendum. Quæſtio 88.

SAepe accidit, vt poſt longam conſultationem alicuius grauisſimi negotij, in qua, permultę rationes in vtranq; partem fuerint conſideratæ, aliquid deliberetur, & aliquibus poſtea videatur malum fuiſſe conſilinm captum: qua propter animus concidit, & frangitur in exequendo: quia, raro uoluntas fertur in id, quod intellectus non approbat: quo caſu, debet in primis Decurio hoc ſibi perſuadere, id fuiſſe deliberatum Diuina voluntate permittente, uel mouente, quæ ſemper ad maius bonum dirigitur: præterea, cũ illa ſententia fuerit approbata, & habuerit ſuas rationes efficaces vt perſuaderetur, hoc præceptum memoria teneat Conſiliarius, vt quotieſcunq; animo repetere cœperit argumenta contrarię ſentẽtiæ, quæ ab alijs repudiata, nunc ſibi melior adhuc videatur, continuò opponat eas rationes, quibus ſuſceptum conſilium ſuſtinetur, ita vt numquam vnam opinionem abſq; altera patiatur animum ſuum inquietare: vt admonet Guicciard. Admonit. 138. quod præceptum, quanti ſit momenti ego ipſę nunnumquã expertus ſui.

Quid

Quid fieri deberet, vbi ſuffragia Decurionum ſint paria, erga duos nominatos.
Quæſtio 89.

VBI apud nos ſuffragia Decurionum paria eſſe renuntientur, ſolet repeti ſuffragatio, vſq; quo vnus ex nominatis ſuperior euadat, quæ ſanè ratio, à maioribus noſtris inſtituta, licet paſſim obſeruetur, mihi tamen vndequaq; non probatur, animo repetenti, quæ dixi in ea queſtione; de Decurione habente duas voces in Conſilio: vt ſcilicet, ea ratione non posſit illas diuidere, quia, cum teneatur in foro conſcientiæ ſemper ſuffragari digniori, qua ratione, vna voce prætulit vnũ tanquam digniorem; debet altera voce eundem eligere: quo fundamento nixus, deduco inde illã conſecutionem, quod ille Decurio, qui prima ſuffragatione probauit unum ueluti meliorem, & aptiorem ad munus propoſitum, non posſit ſecunda, illum reprobare, conſcientia tuta, & ſalua exiſtimatione, quæ propter inconſtantiam nõ mediocriter læditur: quò fit, vt ſemper ſuccederet eadem ſuffragiorum ęqualitas: Probatur hęc conſecutio, argumentando à perſonis ad tempus: iuxta l. qui plures liberos, & ibi Doctor. ff. de vulgar. Bal. in l. cõuenticulæ C. de Epiſcop. & & cleric. vt ſcilicet, quemadmodum vbi agatur de duabus perſonis nominatis, non admittitur iſta variatio votorum in vno & eodem conſiliario, ita improbanda ſit huiuſmodi inconſtantia, vbi de eadem perſona ſuffragatio repetatur: qua etenim

ratione

ratione, exiſtimauit meliorem vnum ex nominatis vna vice, non uideo, quamobrem mutare poſſit opinionem, quin aliquando peccet, primo, vel vltimo voto: quamobrem iure communi, iſta æqualitas dirimenda foret, vel gratificatione, vel ſorte Licent. Piſan. de Cur Piſan. lib. 2. cap. 17. ſi vero in vniuerſum, quis ſcire cupiat, quid fieri debeat in paritate votorum, videat quæ ſcribit Marc. Anton. Surgent. in tractat. de Neapol. illuſtrata lib. 1. cap. 25. n. 27. cum ſequentibus.

Quando, & qua hora, Decuriones Congregari debeant. Quæſtio 90.

CVm probè intelligerent prudentisſimi maiores noſtri, qui, noſtræ Ciuitatis adminiſtrandæ leges compoſuerunt, maxima, & multa negotia, egere etiam longa, & matura conſultatione, quæ ſine congruo temporis ſpatio explicari non poteſt, inter cætera cauerunt. Il giorno ordinario delle Congregationi, faranno, il Martedì, & Venerdì, ſubito finito il ſuono della Campana: che durerà vn'hora almeno, quæ ſanè iuſtisſima lex, quemadmodum, & omnes aliæ, fuit à Conſilio generali ſolemniter approbata: & eo tendit, vt Conſiliarij, hora præſtituta conuenientes, commodius uacare posſint publicis negotijs & ea prudenter diſcutere; Iſta enim dictio, ſubito, hoc eſt ſtatim, intelligenda eſt ad arbitrium boni uiri, vt quantocitius, ex omnibus partibus Ciuitatis Decuriones confluant ad Curiā: Socin. in l. diuortio, n. 14. ff. ſolut. matrimon. Abb. in

cap.

cap. an ſit, nu. 8. de appellatio. Bal. in cap. quia propter nu. 47. de electio: cum ſimilibus: ſed incidimus in ea tempora, ut maior pars Decurionum, minime ponderantium intolerabilem ſuſcepti oneris grauitatem, nihil minus curet, quã publica negotia, hi enim, quos amantiſsime reprehendo, vel vocati non veniunt, uel adeò tardè conueniunt, ut maxima difficultate legitimo confecto numero, vix vnius horulæ ſpatium, in publicas res impendatur, pleriq; expectandorum aliorum impatientes, primi eſſe nolunt, & iniquiſsime ferunt, quoſdam homunciones, niſi è domo deductos, numquam in Curiam venire, ita ergo fit, ut uel paucifsima negotia proponantur, uel raro bene intelligantur; qua negligentia in conueniendo, & impatientia congregatorum in cõmorando, abutuntur aliquando nonnulli aſtuti homines, ad priuatas eorum cupiditates explendas, proponunt aliquid, inſtante hora Conſilij diſſoluendi, & à paucis, quod fuit propoſitum intelligitur: quamobrem in eam tandem ſententiam attrahuntur, quæ, non Ciuitati, ſed proponentibus, vtilitatem cum delectatione ſit allatura: ò tempora, ò mores, ò inconſulti conſiliarij, & negligentes: maiores veſtri, hanc legem, vobis approbantibus propoſuerunt, quid habet difficultatis, quid impoſsibilitatis? ſi charitate flagraretis in Deum, & Patriam, vtiq; hoc iugum, quod graue putatis, leuiſsimum experiremini; Sed & ſi, memorata lex municipalis non fuiſſet promulgata, quæſo mecum recognoſcatis, congruum tempus eſſe neceſſarium, ad omnem actionem huma-

nam perficiendam, cap. conſideret. 50. diſtinctio: quemadmodum enim Iudex iuſti & iniuſti, non excuſatur in Diuino, nec humano foro, ſi nimia breuitat temporis, qua ſeipſum data opera circumcluſit, non potuit plene diſcutere merita cauſarum Bar. in l. prolatam, nu. 5. C. de ſentent. & interlocut. omn. iudic. Menoch. de Arbitrar. Iudic. quæſt. 19. ita; Decuriones, qui ſunt Iudices, boni vel mali publici, non poſſunt illud pro ſuo munere bene diſcernere, niſi tantum temporis in publicas conſultationes inſumant, quantum opus fuerit: inde conſequitur, errores ab eis commiſſos, qui, numero ſunt infiniti, & publico damno grauiſsimi, minime excuſari poſſe, & a Deo, ſeuerìſsime puniendos.

Quod Decuriones non debeant aliqua delicta, licet minima diſſimulare.
Quæſtio 91.

QVemadmodum in re familiari, quamuis maximas facultates, parui, ſed crebri ſumptus exhauriunt, dum deminutio non apparet, aut ſentitur, quia vniuerſa ſimul non profunditur, ita migratio à legibus, & inſtitutis ſalutaribus, quæ pedetentim obrepit, nec tota ſimul inuadit in Communitatem, hoc magis obeſt, quia, dum deſpicitur, occulto greſſu vſq; eò procedit, ut nullis neq; conſilijs, neq; rationibus, deinde amplius contineri poſsit, quæ ſi vehementius initio, apertius vè prorupiſſet, facile nouo legum obice, quia currenti illi obſtructa fuiſſet, quamobrem

opera

opera danda eſt, ne id quod paruum primo intuitu apparet, negligatur, ne vè in re, ut quidam exiſtimant, leui, & nullius momenti, peccetur; Occulte enim ſerpit, ac ſe inſinuat legum violandarum, atq; inſtitutorum negligendorum conſuetudo: quę, lento, longoq; uſu augetur, donec magnitudine ſua, totum Ciuitatis ſtatum corrumpit. Io. Baptiſta Lentius Obſeruat. Politicar. cap. 104. quod probè cognoſcebat illa prudentiſsima vetula ancilla, cuius curæ, atq; diſciplinæ commiſſa erat Monica, quæ fuit poſtea mater D. Auguſtini, hæc enim adhuc adoleſcentula, & ſuperſtes matri prædefunctæ, cum ab ea, poſt prandiũ bibere prohiberetur, ut hac viuendi norma, temperans euaderet, ſæpius eam precibus urgebat, ut ſaltem hauſtu aquæ frigidæ, expleri ſibi ſitim pateretur, quod illi ſemper hac ratione negauit, quod Monica grandior facta, nupſiſſet, & bibendi vini adepta libertatem, uſum aquæ abieciſſet: Aqua, dicebat ancilla, ſordebit, & mos potandi præualebit, ut refert D. Auguſtin. in ſuis Confeſsionibus: tanti ergo intereſt, in omni bona adminiſtratione conſeruanda, ne prauæ conſuetudines, à leuibus principijs ortæ inſenſibilibus & furtiuis gradibus intromittantur.

Quid conſiderare debeant prudentes Decuriones, vbi velint aliquid noui, in Rempub. introducere. Quæſtio 92.

NEmo, vt opinor, ex grege imperitorum Decurionum, qui ad hanc quæſtionem legen-

do

do peruenerit, tanti, illam primo aſpectu æſtimabit, vt re vera debet æſtimari: quemadmodũ ergo ſuaueolentia aromata, ſuam fragrantiã exhalare non poſſunt, niſi contrita ſint, & bene tractata, ita hoc vtilisſimum præceptum, niſi bene examinatum fuerit, non poterit eius præſtantisſimam uim, plene patefacere: Permultũ igitur intereſſe putant, prudentes Ciuilium rerum præceptores ad optimum conſilium de aliqua re capiendum, quo animo, propoſita res conſideretur, videlicet an in ſeipſa, & ſimpliciter inquiratur, quid ea per ſe ſit tunc temporis, cum in conſultatione ponitur; quid illi, conſequi posſit tempore procedente: An uero animus Decurionis aliqua affectione commotus veluti odio, erga aliam, raciocinetur de hac noua re, tanquam futura illius mediciua; vbi enim Conſiliarij huiuſmodi odio inflammati, ad noua conſilia animum adijciunt, vtiq; hæc animi perturbatio, ita ſolet iudicium humanum corrumpere, vt in noua re conſtituenda, mentis oculus pasſione obcæcatus, videre, & perſpicere non posſit, quid ſit melius, honeſtius, & vtilius: vnde ſequitur rerum publicarum maxima perturbatio, & eorum Decurionum ſera pœnitentia: Io. Franc. Lottin. Admonit. Ciuili 345. ad quem errorem conuincendum, & melius illuſtrandũ, vtinã inopia domeſticorũ exemplorũ me cogeret, aliarum Communitatum acta reuoluere monumentis literarum conſignata: ſed in hac noſtra adminiſtratione preſentium temporum, multa huius generis exempla obſeruaui, quę forſitam poſteros noſtros cautiores efficiet.

Quanta

Quanta ſit poteſtas Decurionis in rebus Communitatis donandis.
Quæſtio 93.

HAnc poteſtatem, ampla tractatione fuit proſequutus Bar. in l. Ambitioſa ff. de decret. ab ordine faciend. Loſeus in citat. tractat. de iure vniuerſitat. part. 3. cap. 11. Montanar. de adminiſtrat. vniuerſ. §. 13. & 19. Lancellot. de Decurio, nu. 101. Teſſaur. deciſ. 257. Peregrin. in conſ. 3 lib. 3. ex quorum dictis colligitur, prohibitum eſſe Decurionibus donare, niſi ex cauſa remunerationis: Donare titulo velato, hoc eſt, dicere, & atteſtari ſibi fuiſſe plene redditas rationes. Remittere exceptionem peremptoriam. Renuntiare appellationi, iuſte interpoſitæ. Renuntiare debitum liquidum. vel de illo tranſigere: Mutuare pecuniam pauperi, ueriſimiliter non reſtituturo. Compromittere de re certa, & cætera id genus: quamobrem in maximo periculo ſalutis ęternæ, iudicio meo verſantur illi Decuriones, qui, contra quam iura permittant, nimis liberales ſunt Patrimonij communis, & illicitas largitiones contegunt nomine, ac titulo aliarum expenſarum, referentes in publicos rationum Codices, longe plus in aliquam rem expenſum, quã re vera fuerit, abutuntur enim auctoritate ſibi tributa, & permultis mendacijs ſe ipſos obligant Diuinæ iuſtitiæ: & pernitioſis exemplis, Ciuilem adminiſtrationem corrumpunt: quos propterea grauiſsimis verbis obiurgat Foller. ad Pragmat.

de adminiſtrat. vniuerſitat. cap. 3. nu. 11. ver. Partitæ introitus & exitus ſunt bene diſcutiendę & ver. nam ſi reperiatur partita pecuniæ expenſæ pro utilitate Ciuitatis, non eſt ſimpliciter admittenda, ſed debet oſtendi in quam cauſam, & ſi illa cauſa poterat euitari &c.

An Ordo Decurionum habeat ius ſuccedendi in bonis Decurionis, qui decedat inteſtatus. Quæſtio 94.

QVædam ſunt Collegia iure approbata, quæ habent ab Imperatoribus hoc priuilegium ut vni ex Collegiatis decedentibus ſine teſtamento,& ſine deſcēdētibus, Agnatis,& Cognatis, ſuccedant in eius hæreditate excluſo fiſco, inter quæ Collegia, recenſeri ſolet Ordo Decurionum, l. 4. & ibi Doctor. C. de hæreditat. Decurion. quod ſanè priuilegium, emanauit ab Imperiali liberalitate, quæ, in huiuſmodi caſibus, tantum detulit iuri Collegiali, ut, proprium eius fiſcum voluerit excludere, ut not. ibi Paul. de Caſtr. Salicet nu. 2. Afflic. ad Conſtitut. Regias. lib. 2. Rub. 10. quæ incipit, ſi quando contingit, in fin. Boer. ad Conſtitut. Bituricens. tit. des Coſtum. concern. les teſtam. §. 5. Conſtant. Capriol. in tractat. de ſucceſsio, ad inteſtat. lib. 5. nu. 16. ſi vero contingeret, ex toto conſilio generali, eligi ſingulis menſibus aliquos Decuriones, qui prę ſſent adminiſtrationi Reipub. & vnus iſtorum decederet eo modo quo ſupra, non uocaretur ad eius ſucceſsionem ordo Conſilij generalis, ſed ille

le particularis,qui,illo menſe adminiſtraret quia ſpecies derogat generi: ita in puncto decidit Salicet. vbi ſup. in fine; quem ſequitur Corn. quemadmodum igitur ordo Decurionum habet ius ſuccedendi ab inteſtato, ita etiam tenetur alere Decurionem facultatibus lapſum,l. Decuriones. ff. de Decurio: And. Gail. Practicar. Obſeruat. lib.2. cap 56. nu. 7. non allegatus à Surd. in tractat. de Aliment. quæſt. 61. Io. de Plat. in rub. C. de Decurio: Loſæus, in tractat. de iure uniuerſitat. part.1.cap.3.nu 36 quod maxime procedit, quando iſte Decurio exhauſiſſet ſuum patrimonium pro Communitate, ut inquit. I. C. in d. l. Decuriones, ver. maxime:quæ dictio,maxime,eſt alterius caſus implicatiua.l. ſcire oportet. §. & ſi maxime,ff. de excuſat. tutor,l.1.§. uel maxime. ff. de collatio. bonor. Dec. in l. qui ſe patris nu. 20. C. unde liberi Menoch. conſ. 69. nu. 26 lib. 1. cum ſimilibus, quod ideo ponderaui, ne auctoritas Io de Plat ſimpliciter loquentis,abſq; hac dictione, maxime, benigne Lector. te deciperet.

An Decuriones poſſint humanam gloriam, & laudem appetere.
Quæſtio 95.

CVm ſæpe dixerim, hoc munus Decurionatus, grauitate,omnia alia ſuperare quę, in Communitatibus Ciuium, alicui Principi ſubiectis iniunguntur,opportunę inueſtigandum erit, quod nam præmium appetere poſsint, tot laborum,tot moleſtiarum,quas, pro Patria in dies exhauriunt.

ſtauriunt. atq; hoc loco minime agendum eſt, de illo ſempiternæ gloriæ præmio, quod, illis, benigniſsimus Deus, pro ſua immenſa charitate pollicetur, quia , id non debet in dubium reuocari, de gloria ſolum , & laude diſputo , numquid , & quomodo, ad eam conſequendam, uti humanum finem ſuarum operationum, eniti poſsint: qua in re, præfari libet, quæ ſcribit D. Thom. de Regimine Princip. cap. 7. Nihil enim uidetur in rebus humanis fragilius gloria , & honore fauoris hominum , cum dependeat ex opinionibus hominũ & verbis eorum, quibus nihil mutabilius in uita hominum, & ideo Eſaias appellat huiuſmodi gloriam florem freni : Deinde, humanæ gloriæ cupiditas, aufert magnitudinem animi, qui enim, fauorem hominum querit , neceſſe eſt , ut illorum voluntati deſeruiat, & ſic, dum ſtudet placere omnibus , efficitur ſeruus ſingulorum: & paulò poſt , pertinet enim ad boni uiri officium , ut contemnat gloriam : Tandem ita dicit , ſed quatenus ex dictorum ſapientium intentione apparet, non ea ratione honorem & gloriam pro pręmio decreuerunt , tanquam ad hoc principaliter intentio boni Regis dirigatur, ſed quia tolerabilius eſt, ſi gloriam querat, quam ſi pecuniam cupiat: quidquid tamen dici poteſt , iudicio meo reducendũ eſt, ad perſpicuam theoricam Nauarr. in tractat. de finibus humanor. actuum , ver. vigeſimoprimo: quod laus & gloria deſiderari poteſt , in ordine ad alium finem bonum, veluti , ut eiuſmodi honore ornatus Decurio ſit magis aptus in Ciuili Societate, ad Rempub. adminiſtrandam: Azor.

Moral,

Moral. Inſtitutio,lib.4. cap.13. qui alios allegat, quibus congruit alia Theologorum propoſitio, non poſſe in foro conſcientiæ, Perſonam publicam, negligere honorem atq; exiſtimationem ſuam quæ ſit neceſſaria ad vtilitatem aliorum. Sot. de Iuſtit. & iur. quæſt.6. artic. 4. relatus à Gomez. de Ameſcua. in tractat. de Poteſtat. in ſeipſum lib.2.cap.12.nu.21.acuit equidem induſtriam, animosq; exuſcitat, ad præclaras res gerendas cupiditas gloriæ veluti ad patriam beneficijs immortalibus obligandam. Oſor. lib. 1. de gloria.

Quomodo ſe gerere debeant Chriſtiani Decuriones, erga eos, quos ad aliquid officium promoueri curarunt. Quæſtio 96.

ALiquando mecum ipſe conſideraui, nonnullos Decuriones, gratia, auctoritate, & exiſtimatione florentes, officioſis prehenſationibus contendere ut aliqui amici vel propinqui ſui, ad aliquod officium Communitatis promoueantur, quod vbi aſſecuti fuerunt,quotidianis,& permoleſtis petitionibus, eos urgebant, ut, in gratiam ſuam uel hoc facerent,uel illud ommitterent qua in re, occulta latent permulta pericula peccandi dum, qui rogat, & putat ab amico exigere debitum,non beneficium,capere,maiore fiducia illum vrgere ſolet, ſine delectu iuſti uel iniuſti, quæ ſanè pericula, à Chriſtiano Decurione præcauenda ſunt,quia,qui amat periculum,peribit in illo:ſed & ſi,Ciuilia præcepta, à grauiſsimis viris,diutur

na maximarum rerum tractatione collecta per-
pendantur, minime decere puto, ut, qui aliquem amicum ſuum ad munus publicum prouehi curauit, eiuſdem muneris fructum extorqueat, quia, hoc modo corrumpit beneficium, illi collatum, vt pulcherrime obſeruauit Guicciard. Admonitio: Ciuili, 96. in hæc verba, quando is qui ad honores, munus ue publicum viam tibi ſtrauit, ſuo arbitrio id adminiſtrari cupit, beneficium collatum reuocare incipit, in ſuos vſus conuertere tentans, quod alteri quæſitum fuit, quare & tu refragandi ei habes iuſtiſsimam cauſam; nec ob eam rem ingrati nomen mereris.

An ſint excuſandi Decuriones, qui non venerunt in Conſilium Ruſticis negotijs occupati. Quæſtio 97.

NIhil frequentius adducere ſolent Conſiliarij præſentium temporum, ad ſe excuſandos à publicis congregationibus, quam quod rebus ſuis rure curandis, coacti fuerint nauare operam, qui, quantopere decipiantur, mecum quæſo recognoſcant. Omnes Decuriones, publicis Patriæ muneribus adeò ſunt adſtricti, ut ſi quis, eis neglectis villam ſuam, uel alium locum uellet incolere, poſſet comminatione pœnæ reuocari, propter illam Ciuilem, & iuſtam poteſtatem, quam habet Ciuitas in Ciues ſuos, ut literaliter definiuit Imper. in l. vnic. C. ſi curialis relicta Ciuitate, & ibi Doctor. quos ſequitur Lancellot. nu. 24. ad idem induco tex. in l. ſi quis Decurio. 1. C. de

decur.

decur. vbi not. Bar. non poſſe, Decurionem recedere è Ciuitate ſine licentia, etiam ſi recederet cauſa proprij negotij: & quod habitans in Villa poſſit reuocari tradit idem Bar. in l. 1. ff. eod. Licent. Piſan. lib. 3. cap. 2. Originarius enim alibi habitans, poteſt per vendicationem cogi, vt ſubeat munera perſonalia in loco originis Petr. de Vbal. in tractat. de collectis, nu. 33. Montan. de adminiſtrat. vniuerſit. Pragm. 2. nu. 334. Vrſill. ad Afflic. deciſ. 284. quod verò dixi, Originarium alibi habitantem non poſſe ſe excuſare à muneribus perſonalibus Patriæ ſuæ Originarię non obtinet quando in loco originis extarent uiri magis idonei. Montanar. 161. nu. 336. in qua propoſitione iuris, arbitror ego fundata eſſe illa præcepta pœnalia, quæ initio cuiuslibet menſis mittuntur nomine Ciuitatis, & D. Prætoris noſtri ſingulis Ciuibus, qui forte extracti fuerint Deputati illius menſis: in hęc verba: Mandato, &c. In his ſcriptis admoneantur infraſcripti Decuriones, & eis præcipiatur, quod cum forte, ut moris eſt, extracti fuerint pro deputatis infraſcripti menſis ad incumbendum negotijs Ciuitatis, debeant, ſub pœna ſcutorum uigintiquinq; à Ciuitate non recedere: & ſi forte aliquem abeſſe contigerit, nulla interiecta mora redire, & ibi, ne Reipub. negotia inconſulta maneant, aſſiſtere, donec hoc ipſis obuento munere plene functi fuerint, & prout eorum iuramenlo ſe obſeruaturos promiſerunt: quod cum ita ſit, ego ualde animo commoueor, cum uideam aliquando non nullos Decuriones, ex remotioribus territorij

noſtri partibus accurrere, aduolare ad Conſilium maius uel minus, ut alicui amico, ſuffragentur, qui, aliquod publicum munuſculum petat: O immortalis Deus, ut amico rem gratam faciant, itineris incommoda ſubeunt, & ad breue tempus dimmittunt ruſtica negotia: vbi uerò agitur de communi bono conſeruando, aut augendo, priuatas occupationes cauſantur, perinde quaſi, ſuis colendis fundis, non autem Deo, & Patriæ, primas ortus ſui partes debeant: eſt igitur adeò ſtrictum illud uinculum obligationis, quo, ligantur Conſiliarij cum Patria, ut mero iure ipſa inuita non poſsint acceptare officium extra Ciuitatem: Bar. in l. omnes, & in l. Duumuirum C. de Decurio: lib. 10. vel ſine licentia ſuperioris: Licent. Piſan. lib. 2 cap. 22. quod ſi, Diuinæ bonitatis, & ſui muneris, eum haberent ſenſum, quē, recta ratio præſcribit, vtiq; omni ſtudio niterentur, ut Deo, & Patriæ, debitas operationes pietatis, & iuſtitiæ exhiberent: quod ſi præſtarent, liberaliſsimus Deus, qui, numquam beneficijs ſe ſuperari patitur, vberrimum fructum rerum temporalium largiretur: errant, proculdubio errant, ſi tot periurijs, totq; alijs peccatis offenſo Deo, & communi Ciuitatis bono neglecto, cuius tutelam iurati ſuſceperunt, putant ſe poſſe propria diligentia, & opera, fundos ſuos fructuoſiores efficere, vtinam animo, & pia recordatione repeterent, quanta celeritate, illi Paſtores, qui, Angelico preconio de Ortu Chriſti Seruatoris noſtri edocti fuerant, greges, & armenta ſuæ curæ commiſſa, in paſcuis dimmiſerint, ut ad eum irent, adorandum,

dum, qui ſua infinita prouidentia omnium rerũ gubernationem gerit: cuius præclariſsimi facti circumſtantias omnes, ſi quis expendere voluerit multa quidem, & ſolida argumenta eliciet, ad horum Decurionum nimiam ſollicitudinem demonſtrandam: Id ergo memoria teneant, minime ſibi licere, niſi ex cauſa à iure probata, neq; etiam ad propriam delectationem, relinquere Ciuitatem tunc temporis, cum publicis muneribus vacare debent, quemadmodum enim piſcis extra aquam, monachus extra clauſtrum, colonus extra glebam, ita Decurio extra Patriam uita carebit, inquit Io. de Plat. in l. unic. & ibi Luc. de Penn. C. ſi curalis relicta Ciuitate. Audiant quæſo quæ ſcribit Plutar. in Caton. Vticens. in ſenatum primus veniebat, ultimus abibat: nec unquam ab fuit cum Senatus haberetur: quandoq; per amicos Pompei tentatum eſt, cum reſiſtentē viderent his, quæ contra ius facere volebant, ſibi impedimentum aliquod obijcere, quominus in Senatu adeſſet, qua re animaduerſa omnia ſemper negotia poſthabuit, potius quam abeſſet, neq; enim gloriæ cauſa, neq; lucri, ut pleriq; alij ad Rempub. ſe contulerat, ſed certo conſilio, urbis, ueluti priuati cuiuſdam, negotia ſuſceperat &c. quibus addo, quæ ſcribit Paris de Put. de re militar. §. An Officialis exercitus prouocetur ad bellum, nu. 3. quod habentes publicum Officium, debent prius expedire negotia ad illud pertinentia, quam propria, quod ſi non faciant, non ſolum tenentur in foro conſcientiæ ad propria peccata expianda, ſed etiam præbent alijs occa-

ſionem

ſionem peccandi huiuſmodi malis exemplis. D. Thom. de Regimin. Princip. lib. 1. cap. 11.

Quid ſit faciendum à Chriſtiano Decurione, vbi videat aliquod malum, in Ciuitate exoriri.
Quæſtio 98.

HAec quæſtio paucis abſoluitur, pertinet enim ad Ciuilem prudentiam, in eam curam præcipue incumbere, ne mala in Rempub. irrumpant nec de infligenda pœna prius cogitandum, quam omnia remedia tententur, ad delicta precauenda: Grimal. lib 2. de Optimo Se-
,, nator. cart. 44. Ver. nec eos probare poſſum, qui
,, naſcenti, vel repullulanti vitio, pœnam ſtatim,
,, qua plecti, ac non rationem, qua illud extermi-
,, nari queat inueniunt; conſilio potius, & ratione
,, prouidendum puto, vt homines iuſti efficiantur,
,, non peccantes puniantur: quod Ciuile preceptũ, lucudenter comprobauit ratione, & auctoritate Thom. Morus, lib. 1. de Vtopia: Cum enim, in Anglia, frequentisſima furta patrarentur, continuo, ſeuerisſimis legibus promulgatis, grauiſsimæ indictæ pœnę: quæ, quo crebius ſumebantur, plura in dies latrocinia Rempub. infeſtabant, qua de re diſputans Morus, præcidendam fuiſſe cauſam, & furandi neceſsitatem tollendam affirmat, hoc eſt otioſorum hominum turbam, aliquo vtili opere occupandam id Reipub. vtilius, & moderatoribus glorioſius arbitratur: Ribaden. in citato tractat. de Religion. lib. 2. cap. 31. cart. 440. Auaritiam ſi tollere vultis, mater eius eſt tollenda luxuries, vt dicebat ille:

Bartolom.Philipp. de Conſiliar. cap. 13. n. 8. Caſtellan. de officio Regis lib. 1. cap. 33. Tholoſan. lib. 10. cap 6 n. 18. de Repub. Melius eſt, inquit Tacit in Agricol. officijs, & adminiſtrationibus præficere non peccaturos, quam damnare cum peccauerint.

Quod Decurio Chriſtianus, non debeat leuia munera, à Conſilio ſibi commiſſa detrecta.
Quæſtio 99.

CVm vt ſæpe dixi, Patria habeat Ciues in poteſtate, & poſſit ab illis exigere munera perſonalia, iſtaq; poteſtas à Deo deſcendat, perſpicuũ ſit & ſupbè iniuſte agere eũ Decurionẽ, qui munera à Ciuitate ſibi mandata ſuſcipere recuſet, eo quod tantam in ſe dignitatem minime habeant, quantam ipſe vellet, nihil enim leue dici poteſt, quod, à Chriſtiana charitate profectum ad Diuinam gloriam augendam tendit, atq; dirigitur D. Auguſt. lib. 4. de Doctrin. Chriſtian. cap. 18. Paleot. part. 5. quæſt. 11. ubi quã pluri ma Sanctorum virorum exempla commemorat, qui, vulgaria quædam munera obeuntes, tanquam ſui ſtatus officia, maxima laude floruerunt, id qđ etiam auctoritate D. Gregorij Nazianzen: & D. Baſilj ſummopere commendat: Nichil eſt abiectum quod in Repub. geritur, niſi malis moribus fuerit vitiatum inquit Caſſiodor. lib. 6. variar. Simanc. de Repub. lib. 2. cap. 8. quod præceptum, multis rationibus corroborari poteſt. Prima, quod non debeat Decurio contemnere ſtu-

dium

dium multitudinis, & illorum, apud quos eſt ius, ac poteſtas eligendi. Secunda quia, maxima laus Decurionis ſumitur à moderatione animi, qua debet eſſe excultus, cuius equidem uirtutis, maximum indicium eſt, ad hæc leuia munera amore Patriæ ſe demittere. Accedit etiam publica vtilitas, quę in eo verſatur, vt minoribus quoq; officijs, quæ contemni ſolent, aliquid dignitatis, & ſplendoris adijciatur; quia, non ſolum Magiſtratus uirum indicat, ſed etiam vir, ipſum Magiſtratum: Guerin. Piſo, in tract. de comparat. Magiſtrat. Romanór. & Venet. ver. illuſtrantur etiam Magiſtratus ſecundum viri merita, & ante actos honores, cauereq; debet Decurio Chriſtianus ne contemptibilis fiat, ambiendo magna officia, petenti verò Ciuitati operam ſuam denegare: tandē conſideret, multa eſſe, quę ſi per ſe agat aut tractet, ſordidus, & abiectus videri poſſet, nobilis autem exiſtimabitur, ſi ea faciat publici boni gratia. Plutarc. in Polit. qui ſummis laudibus effert Epaminondam, qui, nullum munus à Patria ſibi delatum recuſabat, de quo etiam meminit, Guerin. Piſo vbi ſup. in hæc verba. Nam legimus etiam de Epaminonda, quod cum ſibi per inuidiam, & contumeliæ cauſa ſordidus quidam, & contemptus Magiſtratus ſibi delegatus eſſet à Populo Thebano, non aſpernatus eſt, aſſerens, non ſolum Magiſtratum oſtendere virum, ſed virum vicisſimo oſtendere Magiſtratum, itaq; gesſit, ut deinceps, tanquam honeſtum munus à multis ambiretur, cum nihil antea fuiſſet, quam cura eiciendi ſordes ex angiportis; quamobrem, Plat.
lib.

lib. 6. legibus hanc legem promulgauit. Ciuis, qui recuſat munus à Repub. damnas eſto &c. licet aliud iure Ciuili caueatur teſte Auendan. de exequend. mandat. Reg. lib. 1. cap. 19 Ver. primus caſus eſt, ſi nobilis eligeretur ad aliquod officium vile, veluti cuſtodiam portarum: allegat Bar. in l. final C. de ſuſceptor lib. 10. & Lancellot. de Decurion. n. 105.

An Decurio, qui contradixit rebus deliberatis, poſsit, aut debeat conuenire cum alijs ad eas exequendas. Quæſtio 100.

QVi uellet in quæſtione propoſita, negatiuam ſententiam amplecti, poſſet illa ratione moueri, quod quemadmodum improbè feciſſet, qui, contra conſcientiam ſuam conſuluiſſet, ita, non uidetur culpa vacare, ſi ſuſcepto conſilio, qđ minus vtile Ciuitati putabat, executionem, cooperando tribueret: Verumtamen verius puto, vt res à maiore parte Decurionum legitime conſtitutas, debeat vbi opus fuerit executioni demandare, quia, conſulendo, quod ſibi melius videbatur, muneri ſuo egregie ſatisfecit: cum vero agitur, de rebus deliberatis exequendis, non dicitur amplius Conſiliarius, ſed publici Conſilij adminiſter: ita in puncto declarat Paleot. part. 5. quæſt 9. cui addo Io. Pet. Bin. cons. 105. lib. 2. circa finem: & ita dicit ſeruari in Senatu Mediolani, & in alijs tribunalibus: quod etiam ſummo pere commendat in adminiſtris Principium, electis ad exequendnm id quod in conſilio improbauerant Palear. ad Cornel. Tacit. Obſeruat. 283.

Si aliquis electus in officialem Communitatis, pro biennio, certa die inchoando, impeditus fuerit aliquot menſes in adminiſtratione, vtrum poſſit ſibi ſupplere menſes impedimenti, in futuro biennio. Quæſtio 101.

HAec quæſtio, apud nos contingere poſſet in Commiſſario Patrimonij noſtræ Communitatis, qui eligitur pro vno biennio inchoando Calendis Ianuarij, contra quem aliquando opponi poſſet inualiditas electionis: & lite durante effluerent nõnulli menſes illius biennij pro quo fuit electus, in qua quæſtione, Bar. in l. ſi prius n. 30. ff. de oper. noui nuntiat: affirmauit, tempus elapſum propter memoratum impedimentum, non poſſe reintegrari quia, cum fuerit electus à Calendis Ianuari, anni 1610. pro vno biennio, quod durabit vſq; ad Calendas eiuſdem menſis anni 1612. non poteſt in aliud tempus prorogari: duæ enim eſſet adminiſtrationes, & cum ſit electus pro vna, non poteſt dici electus pro altera, vltra biennium poſſet quidem contra impedientes agere ad intereſſe: Anton. de Butr. in ca. 1. col. 3. ver. per hoc patet de eo qui mittitur in poſſeſſ. Ias. in l. ſi ita ſtipulatus eſſem, quæ eſt 14. n. 15. 16. 17. ff. de verbor. obligat. qui atteſtatur de communi poſt Bar. ibi uer. formo tibi vnam queſtionem: vbi etiam Alex. ſufficiat pro omnibus auctoritas Senatus Neapolit. apud Franc. decis. 419. per totam: & Io. Paul. Montanar. de adminiſtrat. Vniuerſit. Pragmat. 3 n. 366. & cõ

firmare

firmari poteſt, illa traditione, quod quando certa dies fuit adiecta diſpoſitioni, vnum tempus non recipit functionem alterius. l. ſi vſufructus ff. de vſufruc. legat. Riminal. iun. conſ. 820. nu. 15. lib. 7. quem adducit Io Baptiſta Coſta, in tract. de re integra Diſtinctio. 85. in fine, ad quã quæſtionem principalem ad iungo Georg. Cabed. deciſ. 84. nu. 5. lib. 2. ubi alios adducit.

An ſemper expediat Seniorem Congregationis uerba facere. Quæſtio 102.

INter queſtiones, quas Politici ſcriptores diſputare ſolent, ea non eſt inutilis nec iniucunda, numquid ſorte, ac ſuffragijs, publica munera conferri debeant Scip. Ammirat. ad Cornel. Tacit. lib. 20. cap. 1. in qua, quidquid in vniuerſum dici posſit, inſpecta unaquaq; forma adminiſtrationis Reipub. ea tantum attingam, quæ, ad meũ inſtitutum, & præſentia tempora pertinere poſſunt, ſi enim, in creandis Decurionibus, ea diligentia adhiberetur, quæ, ex Diuinæ legis inſtitutione eſſet neceſſaria, & ſi, Decuriones in ea ſtuſtia incumberent, quibus poſſent ſuſcepto munere bene perſungi, nullum unquam publicum dedecus ex eo conſequeretur, quod Seniores, ubi occaſio ſe obtulerit nomine publico loquendi, hoc officium obirent, verum, malo noſtro fato, in ea fece temporum nos uiuere contingit, ut perpauci ſint, qui animum excolant his ſtudijs, quæ, optimum conſiliarium, & Chriſtianum informare poſsint, multoq; pauciores, qui ſui ipſorum

Chri-

Chriſtianam, & veram cognitionem ſtudeant adipiſci quò: ſæpe euenit, vt imperitiores, & ineptiores homines ætate quidem, & Ordine ſuperiores, ab omnibus tamen laudabilibus adiumentis imparati, ſedeant in primis locis Congregationum, & impudenter aſſumant, hoc publice loquendi onus, de quo diſſero: quamobrem, maximum riſum aliquando mouent Principibus viris, quos, officij cauſa, nomine Ciuitatis ſalutari deceat, vt ſuperioribus accidit annis, in vna Ciuitate Lombardiæ, inter cuius Decuriones, primus omniũ ſedebat eiuſmodi conſiliarius, inops verborum, & ſententiarum, & ad Principum venerandum conſpectum minime aſſuetus: Is in exordio orationis, vtens titulo Illuſtrisſimi, mox Clarisſimi, deinde Reuerendisſimi tandem Serenisſimi, ſuã cantenã abſoluit quo, abeunte, Princeps natura modeſtisſimus, facete dixit ad eos, qui ſibi aderant, ſe maximas habere gratias illi inſulſo, & inſipienti Oratori, quod eum tractaſſet vti Nobilem Venetum, vti Epiſcopum, & vti Ducem: quæ deriſiones, & ludibria, vt à Communitatibus bene gubernatis auertantur, optimum factu arbitrarer, vt hęc negotia publico nomine loquendi, non prerogatiua temporis, ſed prudentisſima electione mandarentur.

De Decurionibus, qui nemini ſuffragari volunt, niſi rogati. *Quæſtio* 103.

QVis crederet vnquã, perueniſſe nos ad eam temporum conditionem pesſimam, vt in ordine

ordine Decurionum, eiuſmodi Conſiliarij aliquando reperiantur, inani ambitione inflati, conſilio vacui, rerum Ciuilium rudes, tanto munere indigni, ut huius quæſtionis argumentum ſuſcipere coactus fuerim? quidam enim extiterunt, ſedendi loco, & erroris ſocietate coniuncti, qui, audito nomine alicuius Ciuis ad publicum Officium, nominati, inuicem ſe interrogabant, nũquid ab eo fuiſſent rogati, quem, ſi dixiſſent cum eis minime egiſſe, Repudiemus eum, ſtatim conſpirabant, nulla earum rerum habita ratione, quæ ad id muneris eum reddebant aptiſsimum: ex qua Diabolica conſtitutione animi, quis numerare poſſet, ac æſtimare peccata proficiſcentia? ſimplex namq; illorum propoſitum, excludendi omnes, qui ab ipſis Officium illud petendo, non ambiuiſſent, ſubiecit hos Conſiliarios culpæ mortali, quando verò, neglecta ratione boni communis, & religione iuramenti, quo, illud ſemper curare promiſerant, re ipſa, ſuffragijs ſuis eligebant indignos, idoneis excluſis, deficit profectò mihi uerborum copia, ad tãta & adeò grauia ſcelera, pro rei indignitate deteſtanda, quæ, non ſolum deformitate culpæ afficiunt animam, ſed etiam cumulant grauiſsimo onere damnorum Communitati reficiendorum, ut toties dixi: quę omnia, ut aliqua ratione penitus tolli, uel ſaltem magna ex parte præcaueri poſsint, optimum factu arbitrarer, ut nemini petenti, officia publica conferrentur.

Quod prudentes Decuriones debeant rerum agendarum occaſionem diligenter amplecti.
Quæſtio 104.

NIhil eſt aliud occaſio,& opportunitas rei bene gerendę, quam accurata conſideratio temporis,& reliquarum circumſtantiarum : Demoſth. Olynth. 1.quæ,à prudentibus adeò neceſſaria exiſtimatur, ut eam appellent animam actionum humanarum, & antiqui, illam diuinitate decorauerint. Io. Baptiſta Lent. Obſeruat. Politic.38.in quam excipiendam intenti,paratiq; debent eſſe homines, nè præbenti ſe ſe fortunę deſint: nam Illa ipſa negotia,quę importunò tempore ſuſcepta, difficilima, aut impoſſibilia fuerunt,ſi inuitante occaſione aggrediaris, facilima exiſtunt: quod ſi intempeſtiuè tententur, non ſolum ſucceſſu caremus,verum etiam, ſubimus periculum, ne iuſtas etiam occaſiones corrumpamus idem Lent. Obſeruat. 299. de quà occaſione, ita cecinit Poeta egregius.

Sum Dea quæ rara, & paucis occaſio nota,
Quid rotulæ inſiſtis? ſtare loco nequeo,
Quid talaria habes? volucris ſum, Mercurius quæ fortunare ſolet, trado ego, cum uolui,
Crine tegis faciem? cognoſci nolo,ſed heus tù.
Occipiti caluo es: ne tenear fugiens :

Quamobrem, Chriſtiani Decuriones non deſinant enixis precibus Sancti Spiritus lumen implorare,ut occaſionem oblatam cognoſcere poſſint, & arripere : tantum enim humanis nocet actioni-

actionibus, immaturam præuenire, & amplecti, quantum, cum præteruolauerit, actiones ſuſcipere: Lottin. Admonit. 266. quò fit vt illi, quibus ſe ſemel obtulerit, fortunati quidem dici debeant, ſed niſi ſint etiam æque prudentes, non poterunt illam cognoſcere, atq; apprehendere: hi vero quibus ſæpius illa fecerit ſui poteſtatem; quemadmodum fortunatiſsimi ſunt, ita & imprudentiſsimi exiſtimantur, niſi ea uti ſciant Guicciard. Admonit. Ciuil. 107.

Stante ſtatuto quod Conſiliarij non uenientes ad Conſilium, ſoluant quatuor aureos, diuidendos inter conſiliarios, numquid, condemnati vocandi ſint ad diuiſionem, & habeant partem.

Quæſtio 105.

IN hac quæſtione, Bar. amplexus fuit partẽ affirmatiuam, in l. ab omnibus § ſi titio. ff. de legat. 1. & eum ſequitur Angel. ibi, quia Conſiliarius non veniens, & mox condemnatus, non deſinit eſſe Conſiliarius: quemadmodum etiam; ſi unus Decurio ſuſtinuerit litem contra Communitatem, & vicerit, debet pro ſua portione ſoluere collectam impoſitam à Communitate ad reficiendas expenſas illius iudicij: ſimili quoq; ratione ſi paſſus fuerit damnum incendij, à Communitate reficiendum, concurrit pro rata ſui patrimonij: Doctor. in d. § ſi titio. Bar. in conſ. 117. lib. 1. Bal. in l. 1. in 2. lectur. ff. quod cuiuſq; vniuerſitat. in fin. Loſeus, de iure vniuerſitat. part. 3. cap. 9. nn. 21. & multos alios adducit Carpan. ad ſtatut. Med. lib. 2. cap. 375. nu. 115.

An aliquo caſu ſufficere poſſit maior pars Conſiliariorum, in eo negotio, in quo, requirerentur omnia ſuffragia. Quæſtio 106.

MVlti ſunt caſus, in quibus non ſufficit maior pars Decurionū, ſed omnium ſuffragia requiruntur, quos cumulauit Lancellot. de Decur. fingamus modo, omnium Decurionum conſenſu, datam fuiſſe facultatem duodecim Decurionibus, aliquid eiuſmodi agendi, quod omniū vocibus in pleno Conſilio eſſet terminandum, & illi duodecim, referant ad totum Conſilium generale, approbaturū quod eius auctoritate cōfecerunt, vtrum, ſi in hoc ſecundo actu totius Conſilij, nō concurrant voces omnium Conſiliariorum ſuſtineatur actus, hanc quęſtionem propoſuit Alberic. ſuper ſtatut. in quęſt. 72. part. 1. vbi concludit ſufficere quod interuenerint omnes uoces, in electione illorum duodecim, etiam ſi non interueniant in ultimo actu Conſilij generalis, quia illi duodecim fecerunt actum, ſauctoritate omnium ſibi legitime attributa: hoc idem tenet in l. aſſe toto ff. de hæred. inſtituen.

Qua ratione poſſint Decuriones, deuincire ſibi animos illorum, a quibus, pro publico bono, aliquid petūt. Quæſtio 107.

NOn ignoro, futuros eſſe multos, qui, cum ad hanc quęſtionem legendo peruenerint, inſcitiæ me atq; imprudentiæ coarguant, quod in

hoc argumento verſari voluerim, perinde quaſi meæ peregrinentur aures, atq; non intelligam præſentis ſæculi mores corruptiſsimos, quibus efficitur,ut multorum animi,qui,Togata uel bellica dignitate fulgent, muneribus capiantur, & auro beneuolentia concilietur, neq; deſint horum negotiorum turpiſsimi mediatores, quorũ opera facile vnuſquiſq: poteſt, fauorem,& gratiã emercari, hoc certe ſcio, & pro ipſa indignitate rei deploro, ac lugeo: multis equidem nominibus, ſed eo maxime, quod aliqui priuati Ciues, pecunia publica, non publica negotia, ſed proprias rationes,his occultis largitionibus ſtudent promouere, neq; poſsint huiuſmodi expenſę, in publicos Codices apertè referri: Sed, & illud verum puto, artem, & prudentiam donandi non eſſe omnibus notam, neq; poſſe cum omnibus æque exerceri, cum nonnulli ſint, ea integritate vitæ eoq; candore morum præditi, ut ſuis ſtipendijs contenti, mori mallent, quam, hoc genere turpis compendij fædari: quapropter Chriſtiani Decuriones, quibus aliquod Ciuitatis negotium fuerit demandatum,in primis à Deo petãt, ut illi benignus aſsiſtat,qui,humanas voluntates maxima ſuauitate ſolet eò inclinare, unde, eius Diuina gloria, & Communitatum commoda, poſsint proficiſci: Inter cęteras autem humanæ prudentiæ regulas, à grauiſsimis uiris, rerum, agendarum vſu peritiſsimis, obſeruatas, ea mihi ſummopere probatur, ut, qui beneficium petit,perſuadere conetur ei à quo petit, ſe in eo totam ſpem ponere, tanquam ſalutis ſuę precipuo

auctore, neminem alium habere, cuius benignitati magis tribuat, & cætera id genus: ut obſeruauit Guicciard. Admonit. Ciuil. 134 cuius precepti vtilitatem, ego ipſe in grauiſsimis rebus expertus fui, quemadmodum etiam è contrario, ubi, qui rogatur ſciat, alios præter ipſum uocari poſſe ad partem laudis, & meriti, deicitur animo, nec negotij propoſiti tutelam ſuſcipit, eo ardore mentis, quo cupiebat rogans: Ad hęc dici ſolet, quod prima beneficia, & ultima, habent neſcio quid maioris priuilegij, ut ſcilicet maiore fiducia poſtulentur, quando dicitur, Hoc primum à te peto, uel vltimum eſt, quod petiturus ſum. Palear. ad Tacit. Obſeruat. 277.

Quomodo ſe habere debeant Christiani Decuriones, erga Ciues nobiles depauperatos, qui, officia Communitatis petant.

Quæſtio 108.

SAepe animaduerti, nobiles, in maximam paupertatem deiectos, officia Communitatis efflagitare, ut, ſe & familiam ſuam ſuſtentare poſſint, quæ petitionis ratio, ſine aliquo delectu adeò facile influit in animos nobilium Conſiliariorũ, ut minus honeſto genere nati, licet magis idonei, in maximum Reipub. damnum; ut plurimum repudientur, quamobrem, quod multorum annorum vſu collegi, proponendum puto, præſertim Decurionibus in expertis, qui, incauti in maximos errores delabuntur: illi enim nobiles, qui, ſuam naſcendi conditionem, turpi vitæ genere foeda-

fœdarunt & auitas facultates, gula, venere, ludo abligurierunt, cum ſint delitijs aſſueti, non poſſunt exiguo lucello, inueteratas ſuas cupiditates explere, quò fit, ut ſæpe cogantur, fraudibus, & dolis; turpia, & maxima curare compendia, quod ſi etiam contingat eos, qui, in paupertate nati ſunt, atq; enutriti, ab officio deflectere, quodlibet paruum emolumentum, ab eis magni ſolet æſtimari, ſi igitur hæ duæ ſpecies publicorum miniſtrorum inuicem conferantur, minus damnoſi ſunt pauperes nati, quam ſua culpa facti, expertus loquor; & concludo, hoc genus hominum, qui auitam nobilitatem, & opes, vitioſè viuendo ammiſerunt, iudicio meo indignos eſſe, quibus, publica munera in quibus recte adminiſtratis, communis Reipub. ſalus continetur, debeant commendari: quia paupertas cũ culpa coniuncta, non eſt in iure noſtro priuilegiata l. penult. ff. de iur. dot. Paul. de Caſtr. in l. etiam §. final. ff. ſolut. matrimon. Cornel. Benincas: in tractat. de paupertat. quæſt. 4. nu. 46.

Quid conſiderare debeant Decuriones in his, qui nominantur ad aliqua negotia tractanda, aut exequenda. *Quæſtio* 109.

GRauiſsimorum auctorum eſt peruulgata ſententia, eos tantum eſſe dignos, vt alijs imperent, qui Ciuibus ſubiectis uti ſciunt. Scipio Ammirat. ad Cornel. Tacit. lib. 13. cap. 9. Cum enim ſapientiſsimus atq; benignifsimus Deus, in ſuis donis humano generi communicandis,

ita ſibi temperet atq; moderetur, ut nemo gloriari poſsit ſe omnia, nemo conqueri ſe nihil accepiſſe, maxima prudentia, & acerrimo iudicio opus eſt, ut ſine errore diſcernatur, in quo quiſq; excellat, & ad rem gerendam magis accommodetur, quædam enim negotia impetu quodam animi perficienda ſunt, quædam verò cunctando, ac differendo, alia requirunt ingenuitatem, alia Chriſtianam ſimulationem, & ſic de ſingulis: quapropter, vniuſcuiuſq; ingenium, & naturalis propenſio examinanda ſunt, & quomodo ſe geſſerit in tractatione aliarum rerum, quas, publica auctoritate ſuſceperit. Illud etiam ponderandum eſt an Decurio nominatus propoſitum negotiũ impugnauerit. Io. Boter. de ratione adminiſtr. ſtat. lib. 2. Cart. 68. vix enim fieri poteſt, ut voluntas Conſiliarij in id feratur, quod eius intellectus dicendo improbauerit. „ Non recte exequitur negotium, inquit Io. Baptiſta Lẽt. Obſeruat. „ Politicar. cap. 39. ille homo, quod inuitus ſuſcipit, quodq; in ipſa conſultatione non approbauerit, proinde, improuide agunt Principes, & „ Reſpub. qui Miniſtris ſuis illa munia imperant, „ ad quæ perficienda, nulla neq; voluntate, neq; „ alacritate animi ducuntur: Quemadmodum è contrario, ubi aliud non obſtet, aptiſsimus erit ille Decurio, ad id conſilium exequendum, cuius ipſe fuerit auctor, quem propterea fœlicem appelat Bartolom. Philipp. de Conſiliar. cap. 3. Eques Sponton. de Regendo ſtatu, lib. 4.

An debitores Communitatis, ad eius officia admitti poſſint. *Quæſtio* 110.

EA eſt regula iuris, non poſſe debitores admitti ad publica officia Communitatis exercenda, l. 1. C. de debitor, Ciuitat. lib. 10. vbi Io. de Plat. l. reſcripto §. debitores ff. de muner. & honor. Lancellot. de Decur. nu. 18. Foller. de adminiſtrat. vniuerſitat. cap. 17. nu. 41. ubi Montanar. §. 17. & 18. Nicol. Loſ. de iure vniuerſitat. cap. 5. nu. 18. Auendan. de exeq; mandat. Reg. lib. 1. cap. 19. nu. 25. quæ iura intelliguntur de debitoribus ex adminiſtratione officij; ſecus ſi eſſent debitores ex alio contractu: & concluſio principalis, non obtinet ubi præſtarent fideiuſſores de ſoluendo, & Communitas, illis acceptis, admitteret atq; vocaret debitores ad officia: Alberic. in l. promiſſor § Conſtitutio; ff. de conſtitut. pecun. quid autem ſi eſſent debitores exiguæ quantitatis, uel alij non reperirentur æque idonei, videatur Montanar: vbi ſup. nu. 4. & 5. crederem tamen, quod nullus debitor Ciuitatis deberet eligi ad officium quod conſiſteret in exactione debitorum, arg. Auth. minoris debitor C. qui tutores dari poſs. quia nec ipſe contra ſeipſum vellet, nec alij, eius collegæ auderent quidquam durius attentare.

Quod

Quòd Decuriones non debeant uni Ciui, multa officia vel negotia committere.
Quæſtio III.

SI mihi fiat poteſtas quod ſentio ingenuè dicendi, in ea me doleo natum eſſe mala conditione temporum, ut publicis congregationibus, quæ Ciuitatis gubernacula tractant, quidam quaſi fluxus, & refluxus ſtudiorum, & voluntatũ, vt plurimum prædominetur, quoſdam video, neq; eruditione, neq; probitate, neq; Ciuili prudentia, aut vſu, cum alijs conferendos, multis tamen officijs publicis cumulatos: ita ut, in omnibus Comitijs, maioribus ſemper ſuffragijs præferantur, nihil eſt illorum nomine celebrius; perinde quaſi, reliqui Ciues, ad omnia Ciuilia munera ſint minus idonei, mox fieri video tantam commutationem voluntatum, ut ſine ulla cauſa ab omnibus faſtiditi iaceant atq; ſordeſcant, ſine auctoritate, & ſine nomine. Errant igitur illi Decuriones, qui ſuffragijs ſuis, multa in vnum officia, aut negotia conferunt pertractanda, quia rectius & melius, multa negotia à multis, quam ab uno conficiuntur. Plut. in Polit. ſinguliq; ſingula recte conficere poſſunt, plura verò, minimè, quod ſi quis multa facere conetur, in ſingulis ita deficiet, ut in nullo euadat egregius, ſi verò huiuſmodi viri initio placeant, ſintq; nonnullis admirationi propter induſtriam, oritur tamen poſtea tædium, & fit reditus ad ſingulos, nec multorum repræhenſionibus vacant; quod etiam ipſa

naturæ

naturæ conditione confirmatur, quæ, ſoli ut luceat, Igni, ut ardeat, Aquæ; ut humectet vim attribuit. Ariſtor. 2. Politicor. cap. 9 & lib. 1. cap. 1. inquit, naturam vti rebus ad vnum tantum fine, & unum vſum, ut ibi explicat Obert. Giſan. quibus aliud grauiſsimum incommodum adiungo, quod dum unus ad plura negotia adhibetur, pauci ſunt, qui rerum ipſius Communitatis periti poſsint euadere, id quod, quotidiana rerum experientia, adeò teſtatum eſt, ut ualde doleam publicam vicem Ciuitatis noſtræ, iam ferè collapſæ.

Quid in Conſilio proponere poſſet Chriſtianus Decurio, ad pacem Communitatis conſeruandam.

Quæſtio 112.

QVia ſine pace, nullas externas res eſſe iucundas ſcripſit Plato, lib. 2. de legib. Sanctiſsimum, iudicio meo, conſilium caperent Decuriones, ſi ex ordine ſuo, quot annis non nullus eligerent, grauitate, auctoritate, dexteritate, pietate, patientia; præſtantiores, qui, priuatas Ciuium controuerſias, antequam in forum deducantur, componere ſtudeant: Per amicos, inquit Plato, iam citatus, tentare debet, ut pax inter Ciues conſeruetur, priuſquam lites intententur, ſicut enim homo nihil poteſt bene agere, niſi preſuppoſita ſuarũ partiũ vnitate, ita hominũ multitudo pacis vnitate carens, impeditur à bene agendo: D. Thomas de Regim. Princip. lib. 1. cap. 15. quod præceptum, in omni ciuitate, eſt ſupra quã

dici

dici poſsit utiliſsimum, vſus enim docet, omnes ferè magnas inimicitias à leuibus contentionibus originem ducere, quæ ſi antequam inualeſcerent, fuiſſent diremptæ, & conſopitæ, minime vtiq; tot cædibus, tot malis, Chriſtianę Ciuitates, perturbarentur. Sed in eis Ciuitatibus, in quibus, cauſæ Ciuiles, facile degenerant in criminalibus, ut inquit Imper. in l. properandum, in princ. C. de iudic. neceſſarium puto, ut in vſum inducatur, præcipue apud nos Cremonenſes, quorum pedes, & manus veloces ſunt ad effundendum Sanguinem, nihil enim Deo acceptius, nihil ad publicam quietem fructuoſius, nihil ad priuatam laudem illuſtius geri poteſt: in quam ſententiam ſubijcio, quę ſcribit Plutar. in Politic. circa finem, his verbis: Ergo ex officio ciuilis viri hoc vnum ei reſtat, quod nulli alteri bono pręſtantia cedit, ut Ciues ſuos, concordia, & pace inter ſe vti doceat, lites, & diſcordias omnes aboleat: & paulo infra. Quoniam autem, ſicut incendium non ſępe à ſacris & publicis locis exoritur, plerunq; autem, neglecta in domo aliqua Lucerna, aut inflammatę quiſquiliæ ingentem ignem ediderunt, ſic non ſemper ſeditionē, contentiones de publicis negotijs excitant, ſed ſæpe numero, ex rebus & offenſis priuatis, in publicum propagatę lites, totam Ciuitatē exagitant. Ciuili uiro in hoc, non minor quam vlla in alia reponenda eſt induſtria, ut his occurat atq; medeatur, ut aliæ quidem lites omnino non exiſtant, aliæ mox ſopiantur, & non faciant incrementum: priuata enim, publicis: parua, magnis

cauſam

cauſam prębere ſolent, ſi negligantur, neq; ab initio, his, medicina, & correctio adhibeatur. Et quamquam, in omni Communitate non deſint, qui, huic tam pio muneri inter Ciues conſeruandæ vel reconciliandæ gratiæ, operam nauent, publica tamen auctoritas, maximam illis fidem ad perſuadendum compararet, nec ideo, tam ſalutaris admonitio eſſet contemnenda, quod omnes priuatæ contentiones ſedari non poſſent, tum quia, ſolum hoc pium, & ſanctum ſtudium Communitatis, Diuinæ Maieſtati eſſet gratiſsimum, tum etiam quod, horum Ciuium opera, adiuuãte Deo, non eſſet omnino infructuoſa, quæ cum permultis antea menſibus ſcripſiſſem, ſola Platonis auctoritate motus, maxima lætitia perfuſus fui, hodierna die quinta Nouembris 1612. cum enim peruolutarem ſcripta Rol. Cauagnol. ad Decret. 1. Montisferr. §. 2. quę hoc mane comparaui, incidi in hæc eius verba nu. 14. Et propterea ad partium concordiam querendam, antiquitus, ex officio, & ordine Decurionum deputabantur officiales, qui, à Iudicibus & Pręſidibus confirmati ad Prouinciarum tutelam eligebantur, & Irenarcarum nomine nuncupabantur, ut in Populis, quererent concordiam pacis atq; quietis: quamobrem Imperatores promulgauerunt legem, & titulum C. de Irenar. lib. 10. à quo titulo, deſumptum fuit, Hoc decretum, de concordijs querendis.

Quid

Quid inquirere debeant Decuriones, in famulis Commnnitatis eligendis. Quæſtio 113.

VNaqueq. Communitas habet ſuos famulos, quibus vtitur in cogendis Congregationibus, in ſuffragijs colligendis, in rebus uenalibus ſubhaſtandis, & proclamationibus promulgandis: qua occaſione, repetenda eſt elegantiſsima diſputatio Ariſtot. lib. 1. Politicor. cap 8. vbi querit, numquid in ſeruis, requiratur aliqua uirtus preter Organicas, & miniſteriales: in qua quæſtione, quæ in utraq; parte cõtrouerſiam habet, concludit, alias virtutes paulò honoratiores deſiderari, quia, qui obtemperare debet, ſi erit luxurioſus, & vitioſus, non poterit rectè officium ſuum explere: hæ tamen virtutes ſeruorum minime neceſſe eſt, ut eodem gradu adæquent, uirtutes dominorum, ut explicat ibi Clariſsimus Ariſtotelis interpres Obert. Giſan. ex qua Philoſophica traditione, deduco ad quæſtionem propoſitam, ualde pertinere ad officium Chriſtiani Decurionis eligere huiuſmodi publicos ſeruos, qui, non ſolum apti ſint ad ſua miniſteria, bene, & laudabiliter obeunda, uerum etiam, ab omni turpitudine vitæ quam fieri poſsit, longiſsime abſint: longo etenim vſu animaduerti, ex his ſeruis, aliquos, principalioribus vitijs contaminatos, veneris, aleę, gulæ, maximam pecuniarum vim conſumere ſolitos, in ſuis publicis miniſterijs infideliter verſari, atq; indiligenter: Sed, & peſsime

peſsime faciunt illi Decuriones, qui aliquo priuato reſpectu moti, non permittunt, tales ſeruos Officio priuari.

Vtrum illi Decuriones qui ſine legitimo numero, uel auctoritate, aliquid promittunt, obligent totam Communitatem.

Quæſtio 114.

QVemadmodum certum eſt, totam Communitatem non obligari facto illorum, qui, nec à lege nec ab homine poteſtatem habent illam obligandi, ita minime dubium, hos Decuriones propria obligatione adſtringi, quod ideo explicandum duxi ad nonnullorum temeritatẽ conuincendam, qui, licet ſciant non licere ſibi aliquid facere, omnia tamen conantur, perſuaſũ habentes, neminem auſurum fore contradicere: quod autem ipſi obligentur, affirmat Bar. in l. ſicut, ver. ſed quero, ff. quod cuiuſq; vniuerſitat. & eum approbat. Angel. & Caſtr. Alex. & alij in l. 4. § actor. ff. de re iudicat. Bal. in l. 1. ver. argumentum huius literæ. ff. de magiſtrat. conuenien d. Paul. Pic. in conſ. 38. in 2. dubio: vbi multa iura deducit.

An Conſilium generale Decurionum, ex cauſa publicæ neceſſitatis, poſſit cogere Ciues particulares ad ſe obligandum pro Communitate.

Quæſtio 115.

IN quæſtione propoſita verior eſt opinio affirmatiua, ut ſubſiſtente neceſsitate, poſsint cogi

gi Ciues particulares ad ſe obligandum: Salicet: in l. Ciuitas in fin. ff. ſi cert. petat. & in hoc omnes concordant, teſte Io. Paulo Montanar. de adminiſtrat. vniuerſitat. Pragmat. 2. nu. 157 Rip. in l. ſi ſe non obtulit nu. 41. ver. ſed aduerte, quia, iſti Doctor. non diſſentiunt in poteſtate, ff de re iudicat & in l. ſi is qui bona, nu. 6. ff. de pignor. Andr. Gail. de Arreſt Imper. cap. 9. quemadmodum etiam poteſt adſtringere Ciues, ad pecuniã conferendam in emptionem frumenti, vigente caritate annonæ: Bal. conſ. 458. lib. 3. cum multis alijs relatis ab Anton. Sola ad Conſtitut. Sabaud. tit. de Edictis Annon. Glo. 6. in princip. vbi igitur Communitas in eam neceſsitatem adducta fuerit, ut opus habeat hac obligatione Ciuium particulari, eos hortor, pro eo, quantum ſe debere putant Omnipotenti Deo, omnium bonorum largitori, & Patriæ indigenti, ut alacri animo hãc obligationẽ ſuſcipiant: eliceréq; conentur, eiuſmodi actus Chriſtianæ pietatis, & virtutis, quos infra ſuo loco demonſtrabo.

De Decurionibus vocatis, & recuſantibus venire ad Conſilium, qui iubent per præconem renuntiari, ſe non fuiſſe domi ab eo repertos.

Quæſtio 116.

QVia numquam ſatis dicitur, quod nondum ſatis diſcitur. Senec. Epiſtol. 27. Palear. ad Tacit. Obſeruat. 263. numquam inculcare deſinam illud Chriſtianum præceptum, non minus verum, quam à paucis animaduerſum, ut Decuriones

riones ſtudioſe caueant à peccatis alienis, hoc eſt ab illis, quæ ipſi ſunt in cauſa, ut alij committant, iuxta traditionem Nauarr. ſæpe à me repetitam, præcipue in Tractat. meo, de Aduocat. Chriſtiano: cuiuſmodi eſt iſtud, quod patefacere inſtitui, atq; repræhendere: illi enim Decuriones, qui, ſuſcepti muneris grauitatem iuſta lance non expendunt, quantum poſſunt oneris, ſubterfugientes, hac ſæpe arte vtuntur, ut inuitati ad Conſilium, referri curent à præcone, ſe non fuiſſe repertos: qui tamen, uel plateas otioſi deambulant, uel aliqua alia, & iniuſta ratione à Congregationibus abſtinere cupiunt, qua occaſione, non ſolum ipſi multum delinquunt, verum etiam ad peccandum hos publicos nuntios inducunt, contra virtutem Chriſtianæ veritatis, & officium ſuum.

Quomodo ſe gerere debeant Decuriones, erga Theſaurarium pecuniæ publicæ.
Quæſtio 117.

ILli Decuriones, qui in publicis rebus adminiſtrandis, non communem vtilitatem, ſed priuatam conſectantur, aliquando curant, eum eligi Theſaurarium, qui ſibi ſit amicitia, uel affinitate coniunctus, ut deinde poſsint ab eo, pecunias publicas mutuo recipere: qua in re non mediocriter errant: quia, iſti exactores pecuniarum Communitatis, non poſſunt illas mutuo dare: l. 1. 2. 3. C. de his quæ ex publica collat. illata ſunt non vſurpand. vbi glo. & Doctor. impoſita pœ-

na, non ſolum dantibus, verum etiam recipientibus: Io. Paul. Montanar. de adminiſtrat. vniuerſitat. Pragmat. 5. per totam: maxime nu. 41. & ibi Foller. Afflic. ad Conſtitut. Reg. lib. 1. Rub. 35. col. 1. Alex. Raudens: conſ 50. nu 463. lib. 1. conferunt, quæ pleniſsime reſpondit Surd. conſ. 391. lib. 3. quod Theſaurarius non poſsit conuertere pecuniam Principis in alios vſus: nec mutuo darè, ut ibi dicit, nu. 14. Angel. in conſ. 90. nu. 2. Rip. de remed. ad conſeruand. vbertat. nu. 17. quibus adiungi debet aliud peccati genus frequentiſsimum, illorum, qui vt publica onera non ſoluant, minis illatis perterrent exactorem, uel publicos executores, ui, & pretio à ſui muneris recta functione abducunt: quo fit, ut multis peccatis mortalibus irretiti, in grauiora ſcelera tandem prolabentes, miſeram vitam ducant, ad æternas miſerias condemnandi: Qui poteſt capere capiat.

Si aliquo caſu licito ommittatur ſubhaſtatio, vtrum Chriſtiani Decuriones debeant dare honorantiam pro incantu.
Quæſtio 118.

Aliquando ſolet Ordo Decurionum mandare adminiſtratoribus ſuis, vt prætermittant ſubhaſtationem ex iuſta cauſa, vel ipſimet Adminiſtratores ex conſuetudine illam non adhibent, quibus equidem caſibus, audiui nonnũquam hanc queſtionem excitari, numquid ille, qui præſtari ſolet aliquod emolumentum ad ra-
tam

tam pretij rei ſubhaſtatæ, poſsit illud petere, & exigere: dubium faciebat, quod cum incantus ſit cauſa iſtius emolumenti, vtiq; ceſſante cauſa, ceſſare quoq; deberet vtilitas: Contrarium tamen in puncto reſpondit Ripa, conſ. 86. quod incipit, Punctus quæſtionis eſt, an populus loci de Carumbis: ea ratione motus, quod licet Conſilium generale habeat amplam auctoritatem ſtatuendi in his, quæ reſpiciunt adminiſtrationem rerum ſuarum, & per conſequens poſsit ex cauſa, prætermittere ſolemnitatem ſubhaſtrationis, nō poteſt tamen præiudicare tertio, cui debetur tale emolumentum: loquitur tamen in eo, cui debebatur hoc commodum ſubhaſtationis, eo iure, quia erat dominus loci: quamobrem placeret mihi hæc diſtinctio, ut ſi Communitas certum quid emolumenti ſtatuto ſuo conſtituiſſet alicui Miniſtro, ad compenſandum laborem, quem, ipſe exhiberet in ſubhaſtationibus, crederem, iuſtiores eſſe partes Commuuitatis, recuſantis dare honorantiam, quia, labor & præmium diuiſionem recipiunt. l. ſeio amico. ff. de annuis legat. Paul. in conſ. 374. col. 2 lib. 2. Crauett. conſ. 433. nu. 33. ubi verò Communitas locaſſet ius conſequendi talia emolumenta, verius putarem, non poſſe conductori aliquid detrimenti accidere, ex facto Communitatis locatricis: iuribus vulg.

De peccatis Decurionum in vocandis Adiunctis. Quæſtio 119.

VBi Ordinarius numerus Deputatorum, qui ſingulis menſibus ſorte extrahuntur è toto Conſilio generali, non ſufficit ad aliquod negotium perficiendum, & Conſilium totum non poteſt facile conuocari, veluti æſtiuo tempore, quo, maior pars Decurionum, res publicas negligit, priuatis occupata, alij Decuriones aduocantur quos ideo Adiunctos dicunt, arbitrio Deputatorum inuitatos: qua in re, mirum eſt dictu quibus artibus aliquando nonnulli vſi fuerint, ut, quę priuatis reſpectibus optabant, conſequerentur, eos enim ſtudioſe ſibi adiunxerunt, non maiore prudentia, & publici boni ſtudio præditos, ſed inuitantium uoluntati addictos, ut illorum, non ſententijs dicam, ſed contentionibus, & clamoribus adiuti, uoti ſui compotes efficerentur, cuius ſui conſilij euidentiſsimum teſtimonium obſeruabam, quod re in Congregatione propoſita, continuò iſti Adiuncti, non expectatis ſententijs numerariorum Decurionum acerrime propugnabant, nec pati poterant, ut cæteri aduerſarētur, itaq; fiebat, ut tum numero ſuffragiorum, tū animi, & verborum contentione ſuperiores euaderent, & maxima in Communitatem incommoda, contra permultos Ordines, & publicas leges irrepſerunt, quæ ſanè improbę artes, ac Diabolicæ calliditates malorum Decurionum, ut frangi poſsint atq; diſsipari, optimum factu arbitrarer,

bitrarer, ut totus Ordo Deputatorum conſentiret,in Adiunctis accerſendis, eos tantum vocari iubens, qui ad negotium de quo agitur optimā uoluntatem,cum ſumma prudentia coniunctam afferre poſsint,neq; ullo modo pateretur, ut iſti Adiuncti,plus auctoritatis, in huiuſmodi Congregationibus ſibi arrogarent, quam ipſimet Deputati,qui, illo menſe, Reipub. gubernacula tractant, quinimo intra fines Ciuilis modeſtiæ ſe continentes, ſimpliciter dicerent rogati ſententiam ſuam quos Cancellos, quò longius prætergrediuntur, tanto interuallo aberrant à recta uia Chriſtiani Conſiliarij.

Numquid in æſtimandis, & puniendis malefactis miniſtrorum Communitatis debeant Decuriones ea cum benefactis compenſare.

Quæſtio 120.

NOn minus vtilis eſt hæc queſtio quam ſuſcepi explicandam,quam quælibet alia in hoc libello diſputata. Sæpe enim audiui Decuriones Ciuilium præceptorum penitus rudes, & amicorum gratiæ plus æquo tribuentes, qui malefacta miniſtrorum à pœnis promeritis,hac pręcipue ratione defendere conantur, quod multa vtiliter in Communitatem aliquando geſſerint, quæ ſane leuiſsima excuſationis ratio,ex Diametro aduerſatur Diuinæ iuſtitiæ: quæ, ſicuti nullū bonum relinquit irremuneratū, ita nullum malum impunitum, pugnat etiam cum ipſa iuſtitia naturali,qua ipſi Romani, tantę virtutis acerri-

mi cultores, tantum à Deo meruerunt, vt Orbis terrarum ampliſſimum imperium fuerint aſſecuti. D. Thom. de Regim. Princip. lib. 3. cap. 4. quemadmodum enim in pręmijs decernendis, erga illos qui aliquid laudabile, & egregium pro Repub. pręſtitiſſent, erant expeditiſsimi, ita in illis puniendis, ſi in aliquo deliquiſſent nullam ſuorum meritorum rationem habebant: id quod illo celeberrimo exemplo Manlij Capitolini, inter alia permulta, quę ex hiſtoriarum monumentis recenſeri poſſent, luculenter comprobari ſolet, qui, licet ſingulari virtute, Patriam, & Capitolium ſeruaſſet ab inſidijs, & impetu Gallorum, & ob id, Capitolini cognomen fuiſſet adeptus, nihilominus reus mox factus affectati imperij obtinere non potuit, quin, ex ſaxo Tarpeio præcipitaretur, quamobrem, Politici ſcriptores omnibus Principibus, & Rebuſpub. hoc ſummopere pręcipiunt, ne in iuſtitia adminiſtranda, compenſent merita cum delictis. Io. Baptiſta Lent. Obſeruat. Politic. cap. 289. Scipio Ammir. ad Tacit. lib. 2. cap. 7 hoc tamen pręceptum, iudicio meo ita temperandum puto, ut ſi agatur de graui delicto puniendo, non debeat fieri prædicta compenſatio, in quibus terminis verſatur exemplum Capitolini, vbi vero ageretur de leui malefacto, & merita præcedentia non fuiſſent præmio affecta, non eſſet abſurdum ſi pœna deminueretur, cuius diſtinctionis prima pars, comprobari poteſt auctoritate Tiraq. de pęnis temper. cauſ. 49. nu. 13. qui, & ipſe conſiderat enormitatem ſceleris puniendi. In ſumma, acerrimo iudicio

opus

opus eſt, ad diſtinguendum illud publicum bonum quod ex animaduerſione vel deminutione pœnę, aut abſolutione conſequi poſſet, quia, omnia Decreta Decurionum dirigenda ſunt ad publicam vtilitatem.

Quod prudentes Decuriones, cum animoſis coniungi debent. *Quæſtio* 121.

IN rebus publicis adminiſtrandis, requiritur non ſolum prudentia in deliberando, uerum etiam conſtantia, & fortitudo animi in exequendo, atq; etiam in ipſis conſilijs capiendis, plurimum iuuat audire ſententias illorum, qui, ſint, animi paulò elatioris. Grimal. de Optimo Senat. lib. 2. Demoſt. olintiac. 3. quapropter, requiritur in Decurione, illa fortitudo animi chriſtiana, quę eſt præclariſsimum donum Spiritusſancti. Bartolom Philip. de Conſiliar. lib. 1. cap. 4. Hippol. à Collib. in ſuo Conſiliario, part. 2. Senes enim iunioribus prudentia antecellunt, perturbationibus animi non æque obnoxij, ut illi: & rerum plurimarũ vſu, quas in longiore uita ſunt experti, magis præditi, ſed in eis, ut plurimum deſideratur ille vigor animi, quo, res arduæ, atq; difficiles ad exitum perducuntur; & in rebus deliberandis, nimis timide ſententiam dicunt, quamobrem, inter alia pulcherrima Reipub. Venetę inſtituta, hoc recenſet Contar. lib. 3. ut in omnibus minoribus Congregationibus, quæ à Senatu, alicui negotio præficiuntur, ſemper adſint aliqui Iuuenes, quorum ardore animi, Senilis frigi-

ditas accendatur, quod præceptum tradidit quoq; Bartol. Philip. cap. 1. nu. 12. & Io. Paul. Montanar. de adminiſtrat. vniuerſit. Pragmat. 2. nu. 325.

An Decuriones poſſint accepta pecunia concedere alicui Ciui immunitatem.
Quæſtio 122.

COmmunitates Dominij Mediolanenſis non poſſunt alicui concedere immunitatē quouis modo, inconſulto Senatu, uel Principe: prohibentibus Conſtitutio: nouis lib. 4. tit. de oneribus §. Communitates: iure verò communi poſſunt ex cauſa remunerationis: Nicol. Loſ. in tractat. de iure vniuerſit. part. 3. cap. 10. quibus addo Anton. Quætt. conſ. 20. nu. 7. & 8. Albam in conſ. 336. nu. 6. Crauett. in conſ. 583. nu. 8. & alibi ſæpe: qua de re non diſputo longius, id tantū querens, quod pertinet ad quæſtionem propoſitam: in qua, compendioſe reſpondeo, non poſſe Decuriones àccepta mutuo pecunia liberare aliquem Ciuem ab oneribus, propter ſuſpicionē vſurariam ex huiuſmodi contractu reſultantem: Summ. Silueſtr. in ver. vſura. 1. ver. nono queritur. Laurent. de Rodulph. in cap. cōſuluit quæſt. 80. de vſur. Cacheran. deciſ. 95. nu. 29. & ſeq. vbi alios allegat. Egid. Thomat. in tractat. de collectis, cart. 356. ver. vniuerſitas: Camill. Borell. conſ. 79. nu. 17 Coſta in tractat. de Scient. facti. Diſtinctio. 72, Centur. 2. Summ. Tabien. in ver. vſur. 2. uer. ſecundus caſus eſt: Minus poſſunt titulo

tulo

tulò venditionis, hanc immunitatem transferre quia eſſet contra ius publicum: Cacher. & Egid. vbi ſup. vbi tamen Decuriones aliqua de cauſa poſſent immunitatem concedere, hęc facultas non competeret noſtro Conſilio minori Deputatorum, qui, ſtatuto 31. ſub, tit. de Regenda Ciuitate, non poſſunt alienare, de Hauere Communitatis, cum enim Communitas habeat ius & actionem contra quoſcunq; Ciues, ad onera exigenda, concedendo immunitatem, alienant huiuſmodi actionem, vt in puncto declarat Cacheran. in d. deciſ. 95. nu. 27.

An Decurio poſſit appellare à Decretis Conſilij generalis. *Quæſtio* 123.

VAlde decipiuntur illi Decuriones, qui, putant, ſe habere adeò liberam, & plenam adminiſtrationem rerum Communitatis, vt quodcunq; maior pars deliberauerit, inconcuſſi ſemper roboris firmitatem obtinere debeat: nam poteſtas à lege communi, & municipali ſibi attributa, intra terminos iuris contineri debet: quos, ſi quandoq; maior pars prætergreſſa fuerit, poterit quilibet Decurio, appellationis remedio, officium iudicis, vel Principis implorare, vt Decretum iniuſtum Conſilij reſcindatur. Abb. hoſt Innocent. in cap. cum in cunctis nu. 13. de pis quæ fiunt à maior: part. capitul. Bar. in l. Ambitioſa nu. 6. ff. de decret. ab ordine faciend. Nicol. Loſ. in tract. de iur. vniuerſitat. part. 1. cap. 3. nu. 97. quæ appellatio non retardabit executionem,

cutionem,ſed operabitur tantummodo effectum deuolutiuum Licent. Piſan. lib. 2. cap. 15. de Cur. Piſan. vbi etiam in cap. ſequenti diſputat illam quæſtionem, numquid maior pars, ſuccumbens in iudicio appellationis debeat in expenſis condemnari: quo ſanè auxilio appellationis, ſemel ego vſus fui ad maximam Ciuitatis vtilitatem, in cauſa grauiſsima.

De Decurione qui non permittit Conſeruatorem Ordinum in munere ſuo fideliter verſari.

Quæſtio 124.

PAulò occultior eſt hæc peccati ſpecies, quam vt cognoſci poſsit atq; diſtingui ſine diuino lumine, quod cupio, tum mihi, tum Lectoribus præferri, vt a Communitatibus tot mala depellantur, quæ, ab hac radice, principium & originē ducunt; Inter multos Communitatis noſtræ adminiſtros habemus Conſeruatorem Ordinum, de cuius officio, ſtatutis noſtris, inter cætera ita cauetur. Non mancherà di raccordare alli Signori Deputati, che non facciano coſa contra gli Ordini, ne ſpeſa ſuperflua della quale, non ſia ſtato hauta conſideratione nel Bilancio della Taſſa: & Infra, ſarà diligente in far mettere in eſſecutione tutte le Ordinationi, che ſi faranno di tempo in tempo, tanto dal Conſeglio generale, quanto dalli Signori Deputati, & in fine dicitur. Et ſarà ſindicato nel fine del biennio di negligēza, è darà ſicurtà di ſtar à ragione, quæ fideiuſsio, acceſſoria ad obligationem principalem ipſius

Con-

Conſeruatoris factam cum iuramento efficit, ut quoties peccat,toties etiam incidat in periuriū. Vbi igitur aliqui Decuriones conſpirauerint in ſuum,vel alterius priuatum commodum, cui, videant Decreta publica aduerſari; toruis oculis, & minacibus verbis,vel aliјs malis artibus perficiunt,ne conſeruator, ut munus ſuum exigeret, ea commemoret, quamquam, de iſto quo nunc vtimur nihil eiuſmodi audiuerim, ita fit, ut reliqui Conſiliarij, huiuſmodi Ordinum immemores,uel prorſus imperiti, grauiter ſæpe errent, in Repub. adminiſtranda; & publicis conſilijs capiendis,quæ profectò peccata Conſeruatoris,his malis Decurionibus adſcribuntur, quod ne ſibi contingeret,ſtudioſe Deum precabatur Dauid, Pſalm. 18. Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuò; vt ſæpe hunc verſiculum citaui in Tractat. de Aduocato Chriſtia. ſecutus Nauarr. in cap. Noli putare, de Pœnitent. diſtinct. 1. quamobrem, in poſterum patiatur Decuriones,ut omnes Communitatum adminiſtri, ea qua debent fide, ac diligentia, in ſuis Officijs verſentur.

Quid facere debeat Decurio, in Conſilio minori Ciuitatis. *Quæſtio* 125.

IN omni bene diſpoſita adminiſtratione Ciuili magnarum Ciuitatum, ſolet eſſe quoddam Conſilium,quod dicitur,conſilium minus,in quò inter cætera,proponuntur ac diſcutiuntur negotia, quę poſtea debent definiri in Conſilio generali,

rali, quod ſanè conſilium minus,fungitur officio illorum Præconſultorum, quos inſtituit Philoſoph. lib. 2. Politicor. & Reſpub. Veneta iampridem introduxit, vt teſtatur Cardinal. Contar. lib. 1. de inſtitutio. Reipub. Venetæ: valde enim congruit ad rectam adminiſtrationem Communitatis, ut res publicæ, præſertim graues bene prius examinentur, quam deliberentur: quod probè ſciens Thom. Mor. lib. 2. de Vtopia, vir, omni doctrina, maxime Reipub. gerendæ peritiſsimus, præcepit, nihil eſſe definiendum, niſi, ſaltem tribus vicibus, fuerit in vtranq; partem diſputatum, in quo ſaluberrimò præcepto, fundamentum habet, ſtatutum noſtrum, de Auctoritate Deputatorum, qui ſingulis menſibus, ſorte extrahuntur, ex toto conſilio generali; quorum ordo, conficit hoc Conſilium minus, de quo ſcribo: in eo enim publica negotia præconſuluntur, quod ſtatutum optima ratione factum laudat Paul. de Caſtr. in l. item veniunt §. Præter hæc nu. 4. ff. de petitio. hæreditat. Rol. à Vall. in conſ. 90. in fin. lib. 1. Nicol Loſ. de iur. vniuerſitat. par. 1. cap. 3. nu. 92. hoc igitur probo, vt Decuriones qui ſedent in hoc Conſilio minori, non ſolum deferant ad Conſilium maius ſententiam ſuam, ſed etiam rationes pro vtraq; parte adductas, ut facilius poſsint Conſiliarij, in eam opinionem deuenire, quam, vtiliorem Ciuitati exiſtimabunt, ſæpe namq; vidi, magnis erroribus confundi Decuriones, & ſuperuacaneis altercationibus diem conſumi, quæ, alijs negotijs ſuffeciſſet, illud etiã valde mihi placeret, ſi, Conſiliarij minoris Con-

filij, poſt omnium ſententias auditas, colligerēt de more, ſecreta ſuffragia, multi enim, præſertim illiterati, non audent aliquando opponere ſe, orationi illorum, qui grauitate & eloquentia, aliquid ſuaſerunt: quò fit, vt, in Conſilio maiore, negotium deinde proponatur, quaſi prçconſultum auctoritate conſilij minoris; quæ auctoritas credita, decipit imperitos: expertus loquor.

An, & quando poſſint Chriſtiani Decuriones, proponere Principibus ſuis, vt officia vendant, Quæſtio 126.

QVia omnis quæſtio debet eſſe de re dubitabili l. domitius labeo ff. de teſtam l. quod labeo ff de Carbon. edicto exiſtimabunt aliqui, hanc eſſe penitus ſuperuacaneam; cum vniuerſa Politicorum ſcola in eo conueniat, pesſime agere eos Principes, qui accepta pecunia vendunt Magiſtratus, & officia vt pluribus auctoritatibus & exemplis confirmat Tholos. de Repub. lib. 4. cap. 5. n. 27. qui patitur enim mercatores poteſtatum, damnare eos non poteſt vēdere coactos, quod prius emerunt Ariſtot. lib 2. Polit. cap. 16. Palear. ad Tacit. Obſeruat 221. Simanc. de Repub. lib. 6. cap. 14. & 15 ubi late. Verumtamen, cum in nonnullis ditionibus tanta ſit Audicorū corruptio, & auaritia, ut neminē, licet doctrina excellentem, & optimis moribus præditum, vnquam Principi commendare velint, niſi magna pacta mercede, atq; depoſita, quam ſingulis officijs ſolent conſtituere, mecum ipſe nonnunquā

fui

ſui ratiocinatus, minus fore malum, ſi Principes ipſi huiuſmodi officia venderent, pretio in ærarium illato: quando enim ordinaria emolumenta Principatus non ſufficiunt, & Princeps, tanta neceſsitatè vrgetur, vt cogitet noua onera impo nere, poteſt tuta conſcientia, ex collatione officiorum, aliquid compendij facere vt lucudenter ſcriptum reliquit Vaſq Contro. Illuſtr lib. 1. cap. 43. n. 6. neq; ideo in ſpecie propoſita, aliquid incommodi ad ſubditos poteſt redundare, propterea quod, nihil eorum intereſt quod officia ſint venalia, & pretium, potius ad Aulicos, quam ad Principem perueniat: quinimo, melius eſſet, quod Princeps aliquid emolumēti caperet, ad onera populorum ſubleuanda: qui omnino vellem, vt ex mente ſuorum miniſtrorum, eum errorem euelleret, quem aliquando inſitum eſſe audiui, videlicet, officia ab eo in ipſos conferri vt ditari poſſint; quando enim Populorum Rectores, proponunt ſibi mercedem, vti finem Regiminis, neceſſe eſt, vt ſubditi poſt ponantur vt formaliter inquit D. Thom de Regim Princip. lib. 2 cap. 8. An vero in vniuerſum poſſint Chriſtiani Principes vendere officia quę habeant annexam adminiſtrationem iuſtitię reicio Lectorē ad ea quæ copioſe ſcripſit Feliciam. de ſolis in tractat. de cenſibus Tomo 1. lib. 2. cap. 3. nu. 24.

Num-

Numquid Decuriones electi ad aliquam Legationem, poſſint à Communitate repetere damna, quæ ſibi caſu fortuitò contigerunt. Quæſtio 127.

IN hac celeberrima quæſtione, vera eſt illa cõcluſio, quod quando Decuriones affectauerunt, & procurauerunt Legationem ſibi decerni, non poſſunt à Communitate repetere damna, quæ aliquo fortuito caſu, veluti latronum iniuria, ſubiuerunt Bar. in l. ſi ſeruus communis §. quod vero ff. de furt. & in l. inter cauſas §. non omnia ff. mand. & in l. vniuerſi C. de legatio. Bertach. de Gabell. part 7 n. 36. Paul. Pic. in conſ. 38. nu. 7. Natt. in conſ. 137. Franc. Marc. deciſ. 425. nu. 7. lib. 2. Felin. in cap. final. de teſtib. in quam quoq; ſententiam reſpondit eleganter ſurd. in conſ. 42. nu. 24. Barbat. conſ. 84. lib. 1. quemadmodum etiam in ſimili ſpecie dici ſolet, quod Canonicus qui procurat ſe mitti pro negotijs ſui Prælati, non habetur pro reſidente Io. de Imol. poſt aliqs, in cap. de cætero, de Clericis non reſident. intelligo autem in ſpecie præſenti, Legationem affectatam, non ſolum quando ipſemet Decurio petit, ſed etiam quando, ut ſæpe contingit, ſupponit amicos qui pro illo deprecentur, quamobrem; ex his perſpicuũ efficitur, quid tenendum ſit, in quæſtione propoſita, & quid conſiderare debeant prudentes Confeſſarij, qui huiuſmodi Legatorum conſcientias excutere voluerint.

De Decurione Legato, qui, ut ab aliquo magno viro, priuatam ineat gratiam, prodit publicam cauſam excedendo fines mandati.

Quæſtio 128.

QVod Cōſiliarij Principum, licet virtutis opinione commendati, non audeant aliquando libere loqui, ipſo rerum vſu compertum eſt, & multis rationibus deplorandum, propterea quod, inter multa, eaq; grauiſsima mala, quæ Chriſtianis populis inde ſolent euenire, hoc fuit nonnunquam obſeruatum, ut peſsimi Conſiliarij, ſuo Principi noua onera meditanti, ut gratificarentur plus ęquo cupidi, auctoritate ſua vrgebant Legatos Communitatum, vt, ea onera ſuſciperent, qui ſanè Legati, limitatam facultatem ab Ordine Decurionum ſibi tributam, cauſabantur, ſed tandem pollicitationibus magnorum honorum onerati ceſſerunt, eaq; vana opinione decepti, quod Communitas improbare non fuiſſet auſa, quod magnorum virorum hortatu, Legati confeciſſent. Quis ennarrare poſſet magna incommoda, quæ in miſeros populos irrepſerunt? Quis immoderatam ambitionem Legatorum deteſtari? qui, ſpe inani illecti, exceſſerunt fines publici mandati. Sed & illud non poteſt ſine maxima animi indignatione cogitari, quod licet vnuſquiſq; in priuatis ſermonibus huiuſmodi acta acerbiſsime repræhenderet, nemo tamen fuit auſus in publicis Conſilijs eà reremedia proponere, quæ, rectæ adminiſtrationis ratio

ratio poſtulabat. Caueant igitur Chriſtiani Decuriones, qui publicæ Legationis munere funguntur, ne auctoritate cuiuſuis magni viri, extra mandati fines longius impellantur, quam ratio ſuſcepti officij, & publica fides permittere poſſint: non ſolum enim Diuinę legi fit fraus, & bonum publicum læditur, verum etiam ſubijciuntur obligationi damnorum reficiundorum, ad quæ, facultates priuati Ciuis minime ſufficiunt.

An & quando Decurio electus ad aliquam Legationem poſſit pro ſe vel alio aliquid impetrare. Quæſtio 129.

QVi habent aures audiendi audiant, hoc eſt illi, qui, cum aliquid ſui negotij vel amicorum habeant Mediolani, curant, ſe publicæ Legationis nomine eò deſtinari, ut occaſione rerũpublicarum agendarum, & publico ſumptu, priuata commoda tractent; ſciantq; iure communi non eſſe ſibi permiſſum, proprijs vel alienis negotijs vacare, l. paulus reſpondit, §. paulus reſpondit, eum qui Legatione fungitur neq; alienis, neq; proprijs negotijs ſe interponere debere. ff. de legatio: & l. legatus antequam officio legationis functus ſit, in rem ſuam nihil agere poteſt, & l. ſi abſenti §. qui legationis officio fungitur ſuum negotium curare non poteſt, ff. eodem: Io. de Plat. in Rub. C. eod. Lancellot. de Decur. nu. 78. Martin. Laudenſ. de Legat. Princip. quęſt. 35. quod etiam cautum fuit iure noſtro municipal. tit. de Regend. Ciuitat. cap. 34. quod ſcilicet

electi ad aliquam Legationem, non poſsint aliquid pro ſe, uel pro alio impetrare, nec impetrato vti, qua de re, inter leges Reipub. Venetæ ſeuerisſimæ pœnæ in Legatos infliguntur, ut ſcriptum reliquit Bemb. in ſua Hiſtoria, quibus ſanè pœnis animaduerſum quandoq; fuit in quendã Legatum; qui, cum apud ſummum Pontificem nomine Reipub. reſideret, ab eius ſanctitate maximam dignitatem Eccleſiaſticam impetrauerat; quod ea ratione fuit introductum, ne Legati, à publicis negotijs diſtrahantur; tum ne cogantur, proprijs rationibus conſulentes, uoluntati Principum uel Miniſtrorum inſeruire, à quo fonte, animaduerti ego, maxima in Rempub. noſtram incommoda profluxiſſe. Quod ſi non diſtraherentur à publicis rebus tractandis, nullam pœnam iure communi ſubirent. Angel. in conſ. 319. Martin. Laudenſ. vbi ſup. Cum verò hanc quæſtionem conceperim de Legato impetrante, atq; etiam de illo loquatur Stat. noſtrum memoratum, non prohiberentur Legati aliquid accipere à Principibus ſponte, & motu proprio concedentibus: aliud eſt enim impetrare, hoc eſt ad poſtulationem obtinere, aliud accipere à ſponte concedente, l. ſi quis iniquum & ibi ſcrib. ff. quod quiſq; iur quod ideo attingendum exiſtimaui, quia ſemel audiui, Legatum noſtræ Communitatis, ætate ſuperiore, huiuſmodi ratione ſe excuſaſſe: quamquam, mihi perſuaſum ſit, in hac temporum iniquiſsima conditione, cum omnia uenalia ſint, perquam rarò, aliquid honorificum motu proprio concedi.

De

De Decurionibus ad aliquam Legationem electis, qui, ſecum plures deducunt ſocios, quam ordo Decurionum illis decreuerit.

Quæſtio 130.

PErtinet ad dignitatem Communitatis mittentis, & eorum qui mittuntur, ut Legati, ſine honeſto comitatu non proficiſcantur: Paul. Pic. in conſ. 38. nu. 21. quemadmodum ergo, valde commendanda foret prudentia Conſilij generalis, qui, Legatis, aliquos ſocios adiungeret, ita, grauiter reprehendenda Legatorum immoderata cupiditas, qui, ſocijs publice decretis minime contenti, alios querunt, vel rogati recipiunt, præſertim ad eiuſmodi legationes obeundas, quæ delectationem, & nouitatem coniunctã habẽt: quò fit ut maiore ſumptu, expleta legatione, cogantur tandem multis mendacijs, huiuſmodi impenſas, pro ſocijs illegitimis, & clandeſtinis factas contegere atq; celare, falſis nominibus augendo iuſtas, & veras: nec vllus reperitur, qui has fraudes audeat pro publico bono coercere, licet multi in priuatis ſermonibus illas exagitent, qui ſanè eſt quotidianus morbus Communitatum noſtri temporis, ut ſine fructu publico, priuatim omnes conquerantur, taceant verò, quando loquendum eſſet,

Quomodo poſſint prudentes Decuriones, aliquorum petitionibus reſpondere tacendo.
Quæſtio 131.

SAepe ea petuntur, quæ in maximas difficultates conijciunt Conſiliarios, ne, ſi faciant, quod rogantur, male faciant, aut ſi negent, inuidia, & odio onerentur, illud ergo vſitatiſsimum & optimum remedium adhiberi ſolet, differendi in alium diem petitiones oblatas, quod etiam vſurpabat Roboam Rex in ſacris literis, ille enim qui petit, & videt longam dilationem ſibi fieri, ſi prudens eſt, debet ſpem conceptam abijcere quo caſu, nullum reſponſum datum, haberi ſolet pro reſponſo. Hippol. à Collib. in Aulico Politico, cap. 347.

An aliquo caſu poſſint Decuriones dicere ſententiam, non congregati cum alijs.
Quæſtio. 132.

IN actibus vniuerſitatis & Collegij requiritur conſenſus omnium ſimul congregatorum, nec ſufficit quod ſeparatim conſentiant. Bar. in l. omnes populi, nu. 18. ff. de iuſt. & iur. Felin. in cap. cum omnes col. 1. de cōſtitut. Alex. & Iaſ. in l. ſi quis à filio §. ſi parti. de leg. 1. Loſ de iur. vniuerſit. part. 1. cap. 3. nu. 74 Modit. in §. Plebiſcitum Dubitat. 7. nu. 11. inſtit. de iur. natur. cum verò, qui non fuit vocatus ad Conſilium, poſsit agere de contemptu Doctor. in cap. 1. de his

quæ

quæ fiunt à maior. part. capit. Auend. de exequen. mandat. Reg. lib. 1. cap. 19. nu. 14. Licent. Piſan. de Cur. Piſan. lib. 2. cap. 14. nu. 5. contingere poſſet, quod Decurio contemptus vellet cõfirmare, & comprobare, quod ipſo abſente fuit actum à maiore parte Conſiliariorum quo caſu poſſet ſeparatus ab alijs ſententiam ſuam proferre; quia, non tenderet ad infirmandũ actum, ſed confirmandum. Bal. in d. cap. cum omnes, de conſtitut. & ita in puncto declarat Alex. Trẽtacinq; lib. 1. Var. Reſſolut. tit. quod cuiuſq; vniuerſit. Reſſolut. 1. nu. 12. poſt Felin. in d. cap. cũ omnes nu. 44. quod ideo volui attingere; quia à ſenibus audiui, aliquos Conſiliarios, data opera fuiſſe contemptos, & ad Conſilium minus, non vocatos: An autem contempti, & non vocati, computari debeant in numero maioris partis ipſius Conſilij, videas Trentacinq; vbi ſup. n. 16.

An & quando poſſit Ordo Decurionum mittere Legatos ad Regem, ſine licentia Gubernatoris vel Viceregis. Quæſtio 133.

DE hac quæſtione conſultus Alex. Trentacinq; reſpondit conſ 4 lib. 1. poſſe Communitates mittere Legatos ad Regem, etiam ſine licentia Viceregis, quando, requiſitus in aliquo negotio non poteſt vel non vult pro iuſtitia aliquid decernere, & mouetur per tex. in §. ſit tibi quoq; Auth. de mandat. Princip. & in §. ſi quis verò, auth. vt differentes Iudices: regulariter verò neceſſaria eſt licentia Gubernatoris, qui æqui

paratur Præfecto Auguſtali. l. final. & ibi Doctor. C. de legatio, lib. 10. quod ideo fuit iure ſancitum, ne Rex ſuperuacanea moleſtia afficiatur, & Communitas, non neceſſarijs impenſis grauetur: in qua licentia concedenda, quid obſeruari debeat preſcripſit Potentiſsimus Rex noſter, quē frui beata viſione Dei, & opto, & pie puto, ſuis literis ad Neapolitanos conſcriptis, quas de verbo ad verbum, retulit Marc. Anton. Surgent. in tractat. de Neapoli illuſtrata lib. 1. cap 25. nu. 21. cum multis ſeq; & eas commemorat Io. Thom. Minad. in Conſtit. Regni, Aliquibus, ver. Comitum & Baronum, nu. 55. quamquam vero dixerit Alex. Trentacinq; aliquo caſu poſſe decerni legationes ſine licentia prædicta, habeant tamen ſemper in mente fixum Communitates, ea verba, quibus, ſuum Conſilium concluſit. Et licet ita ſit de iure, tamen Ciuitates non audeant recurrere ſine licentia Proregis, ad ſacram, & Catholicam Maieſtatem, ne Officialibus ſuccedat, quod mihi ſucceſsit, qui, cum ſocijs per aliquot menſes carceratus fui in Regio Caſtro Ciuitatis Aquilę.

An ſemper debeant Conſiliarij Tegati, primi omnium ſententiam dicere.

Quæſtio 134.

CVm vnaquæq; prouincia abundet in ſenſu ſuo, ſolent Decuriones in multis Conſilijs Ciuitatum eum ſedendi ordinem obſeruare, ut non pro cuiuſq; meritis ac dignitate, ſed pro tēpore receptionis in Ordinem Conſiliariorum,

vnicuiq;

vnicuiq; ſuus locus aſsignetur, cui ſanè conſuetudini, à iure minime probatæ, illud etiam valde congrueret, ut eodem ordine ſententiæ dicerentur, ſed uel imperitia, uel artificio nonnullorum aliquando contingit, ut in re grauiſsima, ac difficilima, qui primi ſedent obmuteſcant, Togati ſententiam dicant, & offenſiones primariorum Ciuium, uel Officialium ſubeant, vt his temporibus corruptiſsimis, ſæpe vſu venire animaduertunt, Ciuilium rerum diligentiſsimi obſeruatores, placere enim hominibus, & Patriæ prodeſſe, impoſsibile exiſtimabat Cato: quamobrem, omnes Togatos præmonitos velim, ut iſtorum artibus non circumueniantur, ſed audire ſtudeant, quos prærogatiua ſedendi, ad primas ſententias compellit: quandoquidem, in huiuſmodi conſultationibus vox prima eſt ſemper periculoſa, ut etiam præcipit Hippolit. à Collibus in ſuo Aulico Politico.

An, & quando Decuriones eligentes aliquem ad aliquod officium, poſsint electionem reuocare.

Quæſtio 135.

PVtaui neceſſarium hanc diſputationem ſuſcipere, diuturno vſu edoctus de voluntatibus aliquorum deprauatis, qui omnem occaſionem auide ampleċtuntur, occultum ſuum odium, in æmulos, uel inimicos euomendi, in qua quæſtione explicanda reaſſumo doctiſsimam conſultationem Angel. in conſ. 320. ita diſtin-

guentis. Aut vniuerſitas eligit motu proprio; nulla lege, aut ſtatuto cogente. Aut ideo eligit, quia ſtatutum à ſuperiore confirmatum,id iubet atq; diſponit:primo caſu,poteſt ad libitum reuocare electionem nondum acceptatam, vbi facta fuiſſet electio alicuius non ſubditi, quia, electio nondum acceptata non tranſit in contractum, altero uero caſu, non poteſt reuocari, quoniam electio non ſumit robur à ſeipſa, ſed à lege, & ſuperiore confirmante, & cum requiratur eadem auctoritas in reuocando, quæ requiritur etiam in eligendo § interim Auth. de defenſor. Ciuitat. planum fit, quod electio a lege, & ſuperiore confirmata, non poteſt à ſola vniuerſitate reuocari, quam diſtinctionem ſequitur & valde commendat Senat. Luſitanus apud Georg. Cabed. deciſ. 84. nu. 14. lib. 1. quod etiam ſenſit Bar. in l. abſenti col. final. ff. de donat. quæ traditio mirifice pertinet ad decidendos caſus qui contingere poſſunt in Confraternitatibus, & alijs Collegijs licitis.

Quid facere poſſet Ordo Decurionum, vt excitentur Ciues ad bonum publicum excogitandum.
Quæſtio 136.

QVemadmodum hoc noſtrum ſęculum quotidie vergit in peius, ita adminiſtratio rerum publicarum, non poteſt in ſua integritate permanere, cum enim pleriq; Conſiliariorum proprijs vtilitatibus intenti rarò ſua ſtudia deſigant in negotijs publicis promouendis, impoſ-
ſibile

ſibile eſt, labentes Communitates ſuſtentare, quapropter, optimum factu ſemper exiſtimaui, eligi quotannis aliquos Decuriones ex toto ordine, ad quos vnusquiſq; referre poſſet, id boni, quod pro Communitate excogitauerit, vel ad aliquod malum emendandum, & corrigendum, vel aliquod bonum in melius promouendum: quod ſi aliquid propoſitum fuerit, quod in vſum induci poſſit ad communem vtilitatem, laudibus, & etiam muneribus Ordo Decurionum afficiat proponentes: quod ſanè pulcherrimum inſtitutum in Repub. Veneta vigere, & obſeruari teſtatur Cardinal. Contar. lib. 1. ex quo vberrimum fructum in dies colligunt, vtinam meis cōciuibus, quos, pro eo ac debeo, diligo, & colo, hoc ipſum perſuadere poſſem, quoniam, multo plures reperirentur, qui Reipub. velut ſuæ priuatæ rei accuratam ſedulitatem gererent, & ex multis ſalubribus cogitatis ea remedia elicerentur, quibus commune bonum, non ſolum conſeruari, ſed etiam amplificari poſſet.

Quid cauere debeant Chriſtiani Decuriones, alicuius muneris ſocietate coniuncti.
Quæſtio 137.

Nihil eſt iudicio meo, quod magis impediat executionem publicorū negotiorum, quā vitioſa æmulatio, & ſimultas illorum Conſiliariorum, quibus aliquod negotium curandum committitur, vix enim fieri poteſt, vt vnum in locum corpore conueniant, vel animo conſentiant, qui

cum

cū immôderatis cupiditatibus, & occultis odijs exagitantur, Reſpub. multum detrimenti capit, & Diuina Maieſtas maxime læditur: quorum primum incommodum vt omni ſtudio cauerent illi clariſsimi viri Athenienſes, quos cum ſumma laude commemorat Plutar. in Politicis, ad tempus inimicitias deponebant, donec ſuſcepto munere fungerentur. O ardentisſimum ſtudium boni publici; quod, vt pro viribus procurarent, inordinatas affectiones coercebant: nos vero, qui Chriſtum colimus, & eius ſanctisſima inſtituta, atq; ſuauisſima præcepta profitemur, qualibet leuisſima cauſa, officium Patrię debitum, & Diuinę legis obedientiam deſerimus: quod ęquo animo ferri, nec cogitari poteſt, præſertim cum, nulla neq; iuſtior, neq; grauior cauſa neceſsitudinis reperiri posſit, quam ſortis coniunctio, & prouincię, officij, aut publici muneris ſocietas. ſi Ciceroni credimus, in prima Actione in verrem, atq; teſtatur Auguſtin. Pilares in Epiſtola ad Ioſephum ſeſſe, in principio Tractat. de Inhibitio. iuſtit. Aragon: qua propter, hortor Chriſtianos Conſiliarios, vt non ad punctum tēporis, quod etiam priſci illi Gentiles alacri animo faciebant, ſed Diuina charitate inflammati deponant odia atq; ſimultates, negotiaq; publica curent, vt poſtulat ratio ſuſcepti officij, & Diuinæ legis præcepta præſcribunt.

Quid

Quid ſi Decurio, conſilio ſuo iuuaret hoſtem Regiũ. Quæſtio 138.

INter cœteras res, quas Conſiliarij capientes poſſesſionem huius publici muneris iureiurando promittunt ſe prę̃ſtituros, illud præcipuũ continetur, cunctis ſuis viribus promouere commoda Patrię, & Regis noſtri omnium maximi, quod ſi, conſilio iuuarent hoſtem Regium, præterquam quod huic iuramento contrauenirent, grauisſimis quoq; pęnis eſſent puniendi, vt alias fuit factum in Regno Neapolitano, contra quẽdam Antonium Griſonum, qui ſcripſerat literas ad Ferdinandum Sanſeuerinum hoſtem Catholicæ Maieſtatis, illum ad hortans ad neſcio quid agendum: quæ literæ, licet ad eum non perueniſſent, fuit tamen feudo, & vita priuatus vt teſtatur Io. Thom. Minad. in Conſtitut. Regni in aliquibus ver. Comitum, & Baronum n. 46.

An nominatio Decurionis habentis vnum officium, ad aliud incompatibile, posſit impugnari per quemlibet de populo. Quæſtio 139.

ORdinibus noſtris cautum reperitur, neminem qui habeat vnum officium, poſſe nominari ad aliud ex his, quæ eiſdem ordinibus in compatibilia declarantur, quo ſanè iure vtimur, ne pluribus, & grauibus officijs occupatus Decurio, minore diligẽtia in aliquo verſetur, quod

ſi, vt

ſi, vt ſæpe fit, vel incuria vel affectione nominantium fuerit nominatus, quilibet de populo poterit hanc nominationem impedire glo. in l.ſi reus delatus §. final. ff. de muner. & honor. Auend. de exequend. mandat. Reg. lib. 1. cap. 19. n 27. & ita fuit in Regno Luſitaniæ deciſum teſte Georg. Cabedo. decis: 112. lib. 1. quamobrem hortor omnes, qui habent facultatem nominandi, vt prius diligenter inquirant in perſonas nominãdorum; ne poſtea incauti incidant in priuatas ſimultates, iuxta illud: Turpius eicitur, quam non admittitur hoſpes:

Quid præſtare debeat Communitas bene gubernata, erga ſuos Decuriones.

Quæſtio 140.

INquirenti, & cogitanti mihi veras cauſas, quamobrem, Communitates noſtri temporis male gubernatæ, in peius prolabantur, occurrit illa inter cæteras, quod optimorum Ciuium, qui libere loquendo, & fortiter agendo, fidem ſuam in publicis rebus ſępe probauerunt, non ſuſcipiant curam in eorum periculis neq; tutelã: ipſo enim quotidiano rerum vſu compertum eſt, eos Decuriones, qui, vt munus ſuum, fideliter, atq; fortiter obirent, non veriti fuerunt offendere alicuius Officialis, aut Primarij viri voluntatem, multis propterea ſimultatibus, & periculis manere expoſitos, neq; in tanto numero Decurionum quiſquam reperitur, qui, auctoritatem publicam audeat implorare, ad miſerorum in-

com-

commoda propulſanda atq; depellenda, quinimo, maxima lætitia triumphant,cum vident bonos conſiliarios magnorum virorum odio deflagrare quò fit, vt in publicis conſultationibus, & in rebus agendis timidiores facti, neq; ea dicát, neque faciant, quæ publica vtilitas poſtulat: quamobrem, vt intelligant Decuriones, qui totum Conſilium conſtituunt, quid iure facere poſſint ac debeant erga conciues, & collegas ſuos, has concluſiones ſubijcio. Si alicui Decurioni fuerit illata iniuria, in contemptum communitatis, poteſt ipſa agere actione Ciuili iniuriarum, contra iniuriantem, ſi vero citra publicum contemptum, experiri poterit actione criminali: Bar. in l. 1. in fin.ff. de iniur.Crauett. in cons. 45. col.1. Angel. in d. l. 1. §. Item aut pro ſe, Nicas. in §. patitur n.3. Inſtit. de iniur. Marſil.cons. 115.n. 14 Oldrad. cons. *66*. Guid. Pap.decis *464*.Franc.Marc decis.71.n. 7. lib. 2. Conſilium enim, hac de cauſa ſolet appellari Pater, & dominus Decurionum: vt quemadmodum, pater, & dominus protegere debet filios, & ſubditos, ita Conſilium Decuriones: Licent. Piſan. de Cur. Piſan. lib. 4. cap. 4. in princip. quo argumento vtitur etiam Bal. in conſ. 1*06*. lib. 4. & Crauet, in cons. *697*. n. *6*. quod vero Dominus teneatur adiuuare ſubditos in eorum periculis, ſcriptum reliquit Afflic. decis. 2*65*. col.1. & latius Ludol. ſcrader. de feud. part. *6*. cap. 7. maxime in finem. Quæ cum generaliter vera ſint,tanto maiore ſtudio amplectenda forēt ab Ordine Decurionum, vbi aliqui eorum Col-

lege

legæ, ob ſui muneris fidele exercitium, aliquid durius experirentur. Hoc equidem, ipſa animi grati virtus exigit, quæ, quantoperę nos Deo cō mendet, multa collegit Ioan. Buſæus, in Arca Medic. ver. ingratitudo: Hoc iubent ipſa pręcepta Ciuilia ex fontibus iuris naturalis deriuata, quę in ſpecie noſtra cōmemorat Franc. Claper. in centur. Cauſar. Fiſcal cauſ 14. quæſt. 2. & Iodoc. Damauder: in ſuo patroc. pupillor. in fin. tit. de pupillor. bene gubernator: gratiar. actio. idq; iure fuit receptum, vt, quando Officialis male tractatur, ob officium laudabiliter geſtum, huiuſmodi iniuria, ſit grauius vindicanda: Alberic. in l. Ordine ff. de public. Iudic. qua de re, videatur pleniſſima decis. Vincent. Franc. 403. part. 2. An autem offenſa facta officiali, præſumatur in dubio facta contemplatione officij, an propter priuatam inimicitiam, diſputat Farinac. de Delic. & pœnis quæſt. 17. n 40.

Qua ratione poſſent Chriſtiani Decuriones, explorare fidem, & ingennium illorum, qui petunt publica Officia.

Quæſtio 141.

INcredibilis eſt aliquorum ſolicitudo, qui, vel ambitione correpti, vel impatientes otij, petunt Officia Communitatum, per multos menſes ante legitimum tempus illa conferendi, ſed & non minor eſt nonnullorum Decurionum incuria, & negligentia, qui, de petitorum qualitatibus, in tanto temporis curſu nec edoceri curant,

rant,

rant, nec aliquid periculi facere;tantò repræhenſibilior, quod recepturi aliquem in ſuo famulatu, nullam diligentiæ partem prętermittunt, vt illius ingenium, vitam, & mores probè cognoſcant àtq; intelligant: ommittens igitur quod facere poſſent, vt à cæteris ciuibus edoceantur, in eo verſabor, quod eſt præſentis quæſtionis præcipuum argumentum, illud ſummopere laudans, vt ſimulent ſe aliquid illicitum cogitare, & petitoris operam interpellent: quam ſi promptam, & paratam compererint, ſibi perſuadeant eum non eſſe dignum, cui aliqua pars publicæ adminiſtrationis concredatur, id quod Imperator Conſtantius, aliquando prudentisſimè vſurpauit; de quo, Mariana ita ſcribit, lib. 3. de Rege cap 3 Conſtantius autem ex multis Chriſtianis, qui in eius obſequio erāt, cupiens explorare, quibus potisſimum credere poſſet, finxit, ſe impium Deorum cultum inſtaurare, & velle, vt ab aula recederent, omnibus honoribus ſpoliati, quicunq; Chriſti lege repudiata, ad impiam ſuperſtitionem non redirent. Ea denuntiatione, multos vacillare neceſſe fuit quorum non erat in pietate ſtabilis, & fixa ſententia; Alij in religione perſtiterunt, gratia Principis, & honoribus, potiorem ſuam ſalutem arbitrantes. Conſtantius, illa arte ſuorum animis exploratis, mutata ratione in contrarium, qui deſciuerant, à ſe remouit: qui Deo infideles extitiſſent, his nihil magnum tuto credi perſuaſus: qni perſtiterant, carisſimos ac fidelisſimus habuit. Hac arte, aut ſimili Principem, aulicorum

mores

mores explorare quid prohibetur qui prauis ſe operibus, impudicitiæ ſocium aut miniſtrum obtulerit, etiam rogatus, eum quaſi peſtẽ auerſetur: qui de turpitudine appellatus, opprimendo innocente, vindicandoq; in gratiam Principis, nihil fecerit honeſtatem, & leges Dei, repudietur &c. Vtinam, O Angeli Cuſtodes, hęc adeò ſaluberrima admonitio reciperetur, & ad vſum deduceretur in illis Conſilijs Communitatum, quæ habent ius eligendi Notarios, & ſcribas cauſarum criminalium, vt ex nominatis exciperẽtur probiores, & fideliores, in actis conſcribendis, & arcanis Proceſſuum non manifeſtandis: nam aliquando, quos cognouerunt flecti poſſe pretio aut gratia, ad ſcelera contegenda, & acta non publicata euulganda, maxima alacritate animi, & pluribus ſuffragijs anteponunt optimis viris, qui omnia extrema pati mallent, quam, ne latum quidem vnguem ab officio decedere: quod publicum malum, cum non poſſim auertere, deplorare non deſino.

Quomodo poſſint Chriſtiani Decuriones, vti rationibus humanis, ad perſuadendum.
Quæſtio 142.

QVemadmodum, Deus homini omnia dedit, ita ab eo exigit omnia: vt omnes ſuæ cogitationes, actiones, & elocutiones, ad eius Diuinam Maieſtatem referantur, tanquam primum principium mouens, & ultimum finem recte operandi; deberent igitur Chriſtiani Conſiliarij maximo

ximo deſiderio ex ardeſcere, vt actiones Conſilij & Communitatis, hac primo & præcipuo impulſu Diuinæ glorię augendæ, & Chriſtianæ perfectionis exercendæ, perficiantur, quæ tamen perfectio exoptanda eſt, ſed à paucis conquiritur, & paucioribus paratur, idcirco, prudentes Decuriones, qui cupiunt optima cõſilia, & Reipub. ſalutaria perſuadere, opus eſt, ut multas rationes humanas excogitent, quibus conueſtiant, quod in mente propoſuerunt, ſæpe etenim experientia compertum eſt, huiuſmodi induſtriam profuiſſe, non ſolum, vt res magnæ ſuſciperentur, ſed vt proceſſu temporis affectum repurgarent, & diuinis rationibus innixi perſequerentur, quod humanis incœperant: inter quas, apud homines excelſi ingenij vendicat ſibi principem locum cupiditas gloriæ, quæ, ipſos Ethnicos viros, Sacroſancti Euangelij luce deſtitutos, ad egregia facinora excitauit, omnium ſæculorum memoria celebranda. Sapientiſsimus enim artifex Deus, actionibus obeundis, quædam quaſi condimenta excogitauit, quibus ſuaues redderentur, & faciles: primum voluptatem, qua deliniti ſenſus officio fungerentur, tantò maiorem inſtillauit, quò, actiones difficiliores, & magis neceſſariæ futuræ erant: ſed quoniam voluptas eſt homini communis, cum cæteris animantibus, gloriæ cupiditate, & ſtudio laudis humanos animos ratione præditos, ad cultum virtutum inflãmauit, vt hinc intelligamus, virtutum ſtudium minime eſſe ad laudem referendum, ſed è contrario, querendam laudem, virtutis colendæ cauſa, ut pul-

cherrime ratiocinatur Ioan. Mariana, Religioſiſſimæ ſocietatis Ieſu clariſsimum lumen, cuius vberrimum fructum in vinea Chriſti, & in mea maxime Cremona, Chriſto & Patriæ gratulor, in lib. de Rege & inſtitut. Regis, lib. 2. cap. 13. Cuius ſaluberrimæ præceptionis, ut maximam vtilitatem capiant Decuriones in publicis conſultationibus, & fructum veræ pietatis conſequantur, non vtantur hoc ſtimulo gloriæ, & laudis, tãquam vltimo fine communium deliberationum, ſed vt illo excitentur alij, ad pietatem colendam: quod ſanctum præceptum, cuiuſcunq; generis Gubernatoribus præſcripſit, atq; explicauit Reuer. P. Generalis Diſcalceatorum ſancti Eliæ, in ſuo libello aureo, de Arte gubernandi, cap. 8. Cuius planè Diuina ſcripta omnia admirans, & recolens, gratias ago Deo, quod, laboribus, & vigilijs tanti viri, mirifice adiuuare dignetur Rempub. Chriſtianam, & opto, ac ſpero, optatum & ſperatum ab eo æternæ vitę præmium, ſibi aliquando, Deo miſerante retributum iri.

Quid facere debeant Chriſtiani Decuriones, vbi videant monetam adulteratam. Quæſtio 143.

QVia prima fundamenta humani commertij, poſita ſunt in ponderibus, menſuris, & monetis, operæ pretium eſt, ut Decuriones attẽtiſsimi ſint, & circumſpectiſsimi, ne quid incommodi circa ea furtiue in Ciuitatem illabatur, præcipue circa monetas, quandoquidem, longa obſer-

obſeruatione à grauiſsimis multorum ſæculorũ ſcriptoribus compertum eſt, non deeſſe in Aulis Principum, qui ad ęrarium implendum, peſsimã rationem proponant, aliquid detrahendi de bonitate pecuniæ vel pondere, illius tamen primo valore retento, quod vbi à Principibus in vſum inducatur, exploratum eſt, continuò, maximam mercium, & omnium venalium rerum caritatem conſequi ſolere, undę populi ſupra quam dici poſsit affliguntur, inſumere coacti vnũ aureum in eum vſum, cui, prius dimidio ſatisfaciebant, vt docet rerum vſus atq; experientia: quod ſanè turpiſsimum lucrum, & infame latrocinium appellat Mariana, lib 3. de Regę, cap.8. vbi hoc cõſtituit ſolidum fundamentum non poſſe Principes pro ſuo arbitratu, & inconſulto populo, adulterare monetam, quia eſt genus occultum grauiſsimi tributi, quo, de bonis ſubditorum multum detrahitur, in quam ſententiam, copioſe, ac docte, maxima ingenuitate multa cumulauit: ex quibus hoc elicio præceptum, pertinere ad Decuriones, pro ſui muneris grauitate, opponere ſe, ac intercedere, ne moneta adulterata, aut deminuta in pondere introducatur, & introducta, exportetur; niſi enim naſcenti morbo in tempore occurrere, conſilium ſuſceperint, res eò deducetur, ut ipſa remedia multò maiorem plagam allatura ſint.

An poſſint ſtatuere Decuriones, vt in aliquo actu neceſſarius ſit conſenſus omnium. Quæſtio 144.

AB ea celebri regula quæ in ore omnium verſari ſolet, ſufficere conſenſum maioris partis Decurionum legitime congregatorum, in rebus publicis deliberandis, quemadmodum multi caſus auctoritate iuris excipiuntur, ita ſumo occaſionem inquirendi, numquid poſsint Conſiliarij ſtatuere, vt non ſufficiat maior pars: in qua quæſtione verior eſt affirmatiua ſententia, ut ex cauſa legitima poſsint in aliquo actu particulari hoc ſtatutum facere, cum hoc tamen temperamento, ut ſi noua ratio neceſsitatis, uel publicæ vtilitatis ſuperueniat, poſsint ab eo diſcedere, & ad ius commune redire, quia non poſſunt ſibi præfigere legem contra bonum commune, ut declarat Dec. in cap. cum omnes, 2. lectur. nu. 37. de conſtitut. Abb. in cap. Conſtitutus, nu. 8. de appellatio: Alciat. in l. collegarum ff. de verbor. ſignificat. & comprobatur ſimili traditione Caſtrens. in l. 1. in princip. ff ad l. falcid. ubi inquit, quod ſi Decreto Conſilij caueatur, talem rem non poſſe proponi in Conſilio, & fuerit poſtea propoſita ac deliberata, ualebit deliberatio diſpenſando contra ſtatutum: in quibus terminis multa remedia fuerunt excogitata à doctiſsimis viris, ut non obſtantibus huiuſmodi prohibitionibus, poſsit ex cauſa rationabili Conſilium diſcedere ab eo quod fecerat: ut plene proſequitur

Cepoll.

Cepoll. cautel. 249. cuius dicta ſunt notabilia: quod ſi, quis ſcire cupiat, qua ſpecie verborum, præter expreſſam loquendi formam, cenſeantur Decuriones id ſenſiſſe, vt omnium conſenſus interuenire debeat, repetat Dec. in l. Aliud §. refertur ff. de reg. iur.

Quam cauti eſſe debeant Chriſtiani Decuriones in Officio commendationis exhibendo.
Quæſtio 145.

NVllum officij genus frequentius vſurpatur, quam ſtudioſæ commendationis inter Decuriones, cum inuicem ſibi commendant amicos vel affines, vt eligantur ad publica munera, nec in alio ſæpius peccatur, quia, nullo virtutis delectu, ſed priuata affectione moti, eos aliquando in fidem recipiunt, ut ſui voti compotes faciant: multo verò grauiore culpa delinquunt in hoc genere illi Conſiliarij, qui gratia & auctoritate apud cæteros florent, quia, facilius aliorũ ſuffragia precibns impetrant, & illos fide ſua decipiunt, dum amicorum merita atteſtantut, quæ non habent, vel ſi quæ habent perexigua, ſermone augent atq; amplificant: quod ſi, vt ſæpe accidit, atteſtatione iſtorum reliqui Decuriones decepti eos elegerint ad Officium inhabiles, & Communitas aliquid detrimenti capiat, quis non videt hos nimis officioſos commendatores obligatione adſtringi damnorum reficiendorum Communitati læſæ? vt explicat elegantiſsime Fern. Rebell. de obligat. iuſtitiæ, in Prælud. quæſt. 6. nu-

dia diuidantur, ut teſtatur Apoſtolus. 1. Corint. cap. 1. Hoc autem dico, inquit Paulus, quod vnuſ quiſq; veſtrum dicit. Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti: Carpſit homines, in ſtudia uaria diuiſos, quos malebat in unũ Chri corpus coaleſcere, quo circa, alto cum ſenſu ſubiecit Diuiſus eſt Chriſtus? quaſi planius dixiſſet, quorſum Chriſti corpus, ex multis Chriſti cultoribus compactum, varia opinione diſcerpitis? Quorſum, ego dico, hoc Ciuile corpus publici conſilij, quod vinculo charitatis deberet eſſe conſtrictuum omnibus Conſiliarijs in eundem finem contendentibus, in factiones priuatas diſſoluitur? Quorſum, certus, & magnus Decurionum numerus conſtituitur, ut pluribus ſententijs, Reſp. melius gubernetur, & mox, ad paucorum arbitrium omnia referuntur?

An debeant Decurionus promulgare nouas leges, pro omnibus defectibus euitandis.

Quæſtio 147.

QVia ſumma perfectio Ciuilis adminiſtrationis, à multis optimis uiris deſideratur, publici boni ſtudioſiſsimis, non poſſunt æquo animo pati, quoſdam, licet leues defectus in Communitate adminiſtranda, quod ſanè deſiderium, quemadmodum eſt laudabile, ita repræhendendum illud remedium, ad quod ſtatim confugere ſolent, nouorum Ordinum conficiendorum: propterea quod, in tanta deprauatione corruptæ

naturæ & omnium humanarum rerum, ſicut difficilimum eſt omnes defectus præcauere ſine ſpeciali adiutorio Dei, ita non debet prudens Legiſlator, id lege lata attentare, quod conſequi non poteſt, contentus, aduerſus ea uitia proſpexiſſe, quæ, Reipub. ſtatum perturbare ſolent: reliqua uerò parum noxia diſsimulanda ſunt, nec lege coercenda: ut auctoritate Politicorum, & Theologorum comprobat Ioan. Salas, de legibus: Diſputat. 9. Sectio. 3. maxime Diui Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5. laudantis opinionem Euodij. Multa ſcilicet non puniri humana lege, ſed ad Diuinam prouidentiam uindicanda reſeruari: quædam enim leuia ſunt, quæ, ſi lege prohiberentur, grauiora fierent, & miſeri Ciues, duriore iugo premerentur. Quibus ſubijcio ſingularem ſententiam Pet. Rebuff. in Proemio Conſtitut. Galliæ, nu. 38. Ratio, inquit, eſt, quia euitare omnia uitia ad unguem, eſt opus ſupra hominẽ purum, nec poteſt fieri ſine gratia adiuuante, ideo illa ſola Lex, quæ dat gratiam, debet uitia omnia prohibere, & punire, ſed lex humana à puro homine data, non poteſt conferre huiuſmodi gratiam. Præterea, Legiſlator ſcribit leges propter utilitatem Politiæ communis, quando autem per legem impeditur huiuſmodi utilitas, turbatur bonus Ciuitatis ſtatus: quod certe contingeret, ſi omnia uitia punire conaretur, hæc Rebuff. qui multa alia ſubiungit, ad rem conferentia: prætermiſſo igitur nouarum legum remedio, ad leuiſsimos defectus extirpandos, id maxime probarem, ut illi, qui largiente Deo, hoc ſancto deſi-

derio inflammantur, exhibeant alijs charitatem optimi exempli, ſalubrium admonitionum, & piarum precum ad Deum O. M. ne illa crudelitate ſpirituali afficiantur, quam eius Diuina Maieſtas acerrime repræhendit, in Dialog. Sanctę Catherinæ Senens. Tractat. 1. cap. 6. uer. nã aliquandó concipimus ſpiritualem quandam crudelitatem parere &c.

Quid ſi Conſilium habens ius eligendi aliquos Notarios, eos elegerit, ſuperior verò, alios, quo remedio poſſint Decuriones tueri iura Communitatis.

Quæſtio 148.

EſSt valde miſera conditio illarum Communitatum, quæ aſſiduis controuerſijs exagitantur, pro ſuis iuribus conſeruandis, quę, ſuperiores ſupprimere ſtudent vel extenuare: illud enim tempus, quo grauioribus negotijs vacandum eſſet, in leuisſimas contentiones inſumitur; & Ciues inuidia onerantur, apud eos qui iuriſdictionem exercent, ægre ferentes, qui ſuis conatibus, pro Patria reſiſtere coguntur: quamobrem, nonnunquam propoſita quæſtio incidere poſſet in qua ſumenda eſt doctr. Bar. in l. 1. §. huius autem, ff. vti posſidet: concludentis, dari Communitati memoratum interdictum contrá ſuperiorem turbantem: vt latius proſequitur Menoch. de retinen. poſſ. remed. 3. n. 143. Alphons. Modit. in §. Plebiſcitum quęſt. 70. Inſtit. de iure naturali: ſed prius omnia tentanda ſunt, quam

Com-

Communitates huiuſmodi iudicijs occupentur; quorum ille ſolet eſſe exitus, vt ſiue vincant, ſiue vincantur, ſemper aliquid perdant boni communis, propter infinitam varietatem humanarum rerum, quæ, in Ciuili adminiſtratione contingunt; vnde Superiores capiunt occaſionem, ſi volunt, offenſiones acceptas vindicandi, vt teſtatur Guicciard. in ſuis Admonitionibus Ciuilibus: mihi ſemper fuit ſummopere probatũ, vt vbicunq; poſſint, Conſiliarij ſuperioribus ſuis gratificentur, qui habent à Deo poteſtatem gubernandi, uel iurisdicendi; ſed & illud contendo, Cõmunitates ita ſe debere gerere, ne ſuperiores concipiant audaciam tentandi, & ſpem conſequendi quidquam, quod moribus maiorũ, & iuſtis legibus aduerſetur.

Quid conſiderare debeant prudentes Decuriones, vbi velint ſuprema officia conferre.
Quæſtio 149.

QVi rerum humanarum euentus obſeruare ſolent prudentiſſimi viri, multa lectione, & maximo uſu eruditi, ingenti admiratione cõmonentur, cum vident, ex eis, qui ad aliquod officium promoti fuerunt, quoſdam, expectationi conceptæ minime reſpondere, aliquos vero, de quibus nulla erat opinio, ita ſe gerere, vt longo ſuperent interuallo, hominũ de ſe ſpem atq; iudicium, qua in re, illud mihi in primis occurrit, ineffabilem Dei prouidentiam, quæ, ad aliquod munus publicum, vt ſæpe ſolet, infimos ho

mines euehit, eis quoq; tribuere tanta uirtutis adiumenta, vt poſſint vocationi ſuæ ſatisfacere, vt ſexcentis piorum ſcriptorum auctoritatibus, & illuſtribus exemplis à Deo vocatorum, tanquam Aaron, facile confirmari poſſet, de quibus valde mirantur imperiti homines, humanis rationibus omnia æſtimãte: id uero in vniuerſum exploratum eſt, male plerũq; argumentari eos, qui, quem viderint in minimis officijs egregie verſatum, multò maioribus parem exiſtiment: illud enim vt plurimum contigiſſe potuit, quia, minima negotia, exiguæ ſuæ uirtuti æqualia fuerint; qui, ſi ad grauiora feratur, ineptus euadat. quoſdam vero, ingenio excelſo præſtantes, indignari videmus, quod ad illarum tractationem rerum non adhibeantur, quæ cum arduæ ſint atq; difficiles, latiſſimum præberent campum, in quo, illorum ſingularis virtus poſſet melius euagari. id circò leuibus occupati, non probantur; maximis verò, ſpem de ſe conceptam ſupergrediuntur, id quod egregie expreſſit Ioan. Mariana, de Rege, lib. 3. cap. 3. his verbis: Deinde multi in officio conſtituti contra ſpem, aut metum agunt: excitantur quidam magnitudine rerum, hebeſcunt alij puſillo homines ingenio, oppleti tenebris: negotio quidam obruuntur, alij, otio ſublato, multo commodiores moribus, & vita euadunt. Infuſo humore, de vaſe iudicatur confractum ſit an integrum; neq: facile eſt de moribus & ingenio niſi data poteſtate, ſtatuere: quapropter, opus eſſe arbitror maxima prudentia in omnibus æſtimandis; ne ex paruo munere

lau-

laudabiliter expleto; paſſim quis iudicetur *ido-* neus, ad ſuprema exercenda; ne vè ex infeliciter acto, à maioribus ſtatim excludatur: hoc tamen ſummopere probarem, vt gradatim, & non per ſaltum promouerentur ciues, ad maxima Communitatis munera: Bello inquit Mariana in libro citato cap. 2. Imperator non præficiatur, qui hoſtem nunquam viderit: nauis clauum non reget, qui ſe in arte nauigandi, diu non exercuerit; ne Iudices repente quidem ad ſumma euadant, ſed quibuſdam gradibus, à minoribus functionibus ad maiores transferantur &c. quod fuit obiectũ Mario apud Apianum Alexand. lib. 1. de bellis Ciuil. vt prius debuerit remum, quam gubernaculum tractare. Neq; ſine magna perturbatione animi audire poſſum, qui huiuſmodi ratione malas electiones excuſare ſolent, quod electi, diſcent in Officio prudentiam, & rerum vſum: præterquã enim quod in vniuerſum eſt melius, afferre habilitatem ad Officinm, quam fieri idoneum in officio, certum eſt, ac diuturno vſu obſeruatum, in officijs biennalibus, huiuſmodi homines de quibus ago, tunc tantum aliquid ſcire, cum per lapſum temporis ſeruire non poſſunt, & ex eis, Communitas, debitum fructum percipere nequit: In ſumma, cum inter mortales pauciſſimi ſint, qui omnibus perfectionibus cumulentur, acerrimo iudicio indigent Chriſtiani Conſiliarij, Diuina gratia illuſtrato, vt in quo quiſq; excellit optime poſſint cognoſcere, & naturam publici muneris perſpicere; hoc eſt qua animi præcipua dote, & omnium neceſſaria ſit admini-

ſtrandum

ſtrandum, quam, vbi in aliquo adeſſe animaduerterint; minime requirenda ſunt, quæ, ſalua ratione boni communis abeſſe poſſunt.

An ſemper expediat delegare paucis, auctoritatem totius Conſilij.
Quæſtio 156.

SI omnia Decurionum Conſilia dirigerentur ſemper ad veram pietatem, & publicam vtilitatem, non arbitratus fuiſſem eſſe opus, hanc quęſtionem proponere, ſed cum in dies videamus, nonnullus aſtutos homines nouas artes excogitare, vt negotia publica, eum exitum habeant, quem, ipſi priuatis rationibus vtiliorem putant, maxima cautione inuigilent bene animati Conſiliarij, nè decipiantur, & ſinant Communitatem aliquid damni capere: qua in re, licet nõ posſit certa tradi regula, quæ omnes caſus definiat atq; complectatur, id tamen in vniuerſum præcipiendum eſt, cum deliberatio pertinere ſoleat ad multos, executio verò ad paucos, minime repræhendi debet, quod aliqui eligantur ad res deliberatas exequendas quoniam, eo caſu limitata poteſtas confertur; quam ſi egrediantur facile perſpicitur, atq; coercetur: vbi verò agatur de arbitrio conferendo, quo aliquid conficiant, ſicuti eis viſum fuerit, hic latent ſcopuli, hic ſirtes, quibus, Reipub. nauis frangitur ſæpe numero, vel abſorbetur: quæ pericula, in rebus maxime arduis, & grauibus; vt præcaueri posſint, optimum putarem factu atq; obſeruatu, nè tan-

ta au-

ta auctoritas vnquam tribueretur; ſed cum hoc iuſtiſſimo temperamēto, vt diligenter cogitent, quid Communitati magis expediat; mox quæ cogitauerint, referant ad Conſilium, è re publica definiturum: expertus loquor, hoc adhibito temperamento, conſpirationes priuatorum fractas aſtutias deluſas, Rempub. à maximis incommodis præſeruatam: eo autem neglecto, infinitis malis afflictam, dum quidam Conſiliarij, publicarū rerū tractationē, rebus ſuis, vel amicorum rationibus accommodarunt, quod ſi quandoq; cogantur Decuriones Patrię amantiſſimi de propoſita re deliberare, huius amplę auctoritatis cōcedendę, caſtiſſimis precibus Diuinam gratiam implorent, & intrent cum Moſe in tabernaculū ad conſulendum Dominum, ne illis contingat, quod Ioſue, & filijs Iſrael accidiſſe legimus, valde deceptis, quia Dominum prius non interrogauerunt, ſed dulcibus ſermonibus crediderūt, quemadmodum in omni negotio bene dirigendo, fieri debere admonet pijſſimus ſcriptor, Ioan. Gerſon. de imitat. Chriſti lib. 3. cap. 43.

Numquid vnus Decurio poſſit ſine mandato impetrare literas pro Communitate;
Quæſtio 151.

CElebris eſt iuris propoſitio, Coniunctā perſonam in quibuſdam caſibus poſſe agere pro coniuncto l. exigendi C. de procurator l. ſed & hæ ff. eodem l. patri, vbi ſcrib. ff. de minor. quæ iura, cum loquantur de coniunctione ſanguinis,

tra-

trahuntur etiam ad coniunctionem ciuilem, quę ſocietate vniuerſitatum contrahitur glo. in cap. finali in fine de procurat. vt in ſpecie ad notauit Alphons Modit. ſingulari eruditione præſtantiſſimus in §.Plebiſcitum Dubitat. 107.Inſtitut. de iure natur. quod ideo breuiter attingere volui, poſt ſuperiores quęſtiones impreſſas, rogatus ab amico meo, quid in propoſita quæſtione ſentirem, & aliquando in vſu forenſi contingere poſſet, vbi aliqui Conſiliarij, publicorum commodorum ſtudioſiſſimi occaſionem habeant, etiam non rogati, communem Patriæ vtilitatem promouendi.

De quibuſdam ſignis Reipub. corruptæ, & cito interituræ:
Quæſtio. 152.

BEnignisſimus Deus, dare ſolet metuentibus ſe, ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, vt inquit Propheta Regius in Pſalm. 49. hoc eſt, vt peccatis expiatis, iram eius fugiant, ac ad miſericordiam confugiant; idcirco, operæ pretium exiſtimaui nonnulla ſigna perſtringere, quibus, Chriſtiani Decuriones posſint exitium Reipub. præſagire, & in tempore ea conſilia capere, quibus adiuuante Deo, labentem eius ſtatum tueantur; & fulciant.

1 Primum eſt, ad quod cætera omnia, quæ dici, aut excogitari posſint, referuntur; quando Ciues in peccatis, maxime grauibus, & notorijs, ſine pœnitentia conſeneſcunt, quæ, etiam

in hac vita mortali, vindicare ſolet Deus maximis calamitatibus inflictis: vt frequenter ſacra vaticinia Sanctorum Prohetarum inculcant, & copioſe proſequitur Ribaden. in lib. de Tribulat. vbi agit, de cauſis publicarum afflictionum: & Saluianus in libris ſuis, de Prouidentia.

2 In ſpecie verò, quando in Ciuitate multę ſunt leges, & nulla obſeruatur, quia, nec virtutis amore, nec metu pœnæ, ciues in virtute proficiunt.

3 Quando conſiliarij ſtudioſiores ſunt commodi ſui, quam publici boni.

4 Quando, in conſilium deliguntur ineptisſimi viri, qui, honore ſuperbiunt, ſed onus non agnoſcunt.

5 Quando, qui pro bono publico libere loquuntur, & fortiter operantur, in periculis cauſa publica ſuſceptis, deſtituuntur.

6 Quando qui res publicas tractant, vnuſquiſq; ſe inuicem falsò laudando, compendium faciunt publicæ pecuniæ.

7 Quando Communitatis adminiſtri, negotia publica, ad gratiam Principum, & proprium commodum gerunt.

8 Quando de malis adminiſtris, nemo audet in Conſilio verba facere, ut debitæ pœnæ ſumantur.

9 Quando conſumpta pecunia, & fide publica, nolunt Decuriones externis nummis Patriam alieno ęre leuari, ut ſui, in fructu conſeruentur.

10 Quan-

10 Quando omnia delicta licet atrociſſima, magnos habent protectores, qui iuſtitiam eludant.

11 Quando ſecreta conſiliorũ nõ cuſtodiuntur.

12 Quando Conſilia, temporibus debitis non coguntur.

13 Quando Iudices, pretio depoſito ſuſcipiunt Reos abſoluendos.

14 Quando Communitates primis calamitatibus non mouentur, expectent ſecundas, mox & tertias; quia, vna poſt aliam tandem exitium trahit.

15 Quando omnes Ciuium ordines, ſupra ſtatum ſuum efferuntur:

16 Quando viri Sacrati ordinis, à profeſſione moribus differunt.

17 Quando adoleſcentes vſũ rationis adepti, laudabilibus ſtudijs ommiſſis, in omnia vitia præcipites ruunt.

18 Quando titulis glorioſis, & ambitioſis creſcentibus, decreſcit virtus: quia, vbi multum ſtudij titulorum, ibi eſt multum vanitatis: inquit vnus grauiſſimus ſcriptor.

19 Quando de delictis nõ fit debita inquiſitio, & vel impunitate, vel leuitate pœnę, audaciores euadunt: Circumſpicite animis inquit Mariana de Rege, lib. 3. cap. 11. atq; ante oculos ponite omnes prouincias, quæ fuerunt multis incommodis afflictæ, ferro, flammaq; vaſtatę, inuenietis proculdubio, in his gentibus, antequam fuiſſent euerſæ, facinoroſis hominibus, peccandi licentiam, impunitate

fuiſſe conceſſam.

20 Quando de ſacratis viris, & Eccleſiarum Prælatis impudentisſimè obloquentes, non coercentur pœna, ſed laude, & plauſu excipiuntur.

21 Quando neq; ſeueris Rectoribus, neq; clementibus, Ciues in officio continentur.

22 Illud etiam eſt maximum ſignum adminiſtrationis corruptæ, quando, improbi viri, qui à Præceſſore odio ſancto habebantur, ſunt in delitijs ſucceſſoris: Plin. in Panegir.

23 Quando inde damna conſequuntur, vnde bona debebant prouenire.

24 Quando diſplicent mala, & remedia.

25 Quando piarum deliberationum executionem negligunt.

26 Quando illi faſtidiuntur, qui ad hortari ſolēt Conſilia, ad pia inſtituta ſuſcipienda.

27 Quando Princeps in vnius Aulici poteſtatē ita ſe dedit, vt ſuę auctoritatis oblitus, ad eius nutum omnia faciat.

28 Quando vbertas annonæ non curatur: Propter enim miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.

29 Quando cauillationes in iudicijs prædominantur, & cauſæ nimis retardantur.

30 Quando optimorum virorum pręceptiones ſalutares non proficiunt.

31 Quando Ciues malunt externis turpiter ſeruire, quam ſuos in officio venerari.

32 Quando nulla Ciuium ſodalitas, diſcordia, & factionibus vacat.

33 Quando Miniſtri Principis, pecunia duce

ad

ad officium peruenerunt, coacti poſtea illud habere venale.

34 Quando nomina publica non exiguntur, & tempore ammittuntur, debitorum inopia.

35 Quando Principes immoderatis oneribus, populorum ſanguinem exorbent, nec ſuæ iuſtæ querelæ exaudiuntur:

36 Quando Princeps dolet anguſtiam ærarij, populus ſui patrimonij cõſumptionem, mali officiales verò, Principum fures atque populorum triumphant delitijs, & luxu.

Horum ſignorum collectione contentus, admoneor verbis Dan. Prophetæ cap. 12. quæ eminentiore ſenſu enuntiata mihi accommodari poſſunt. Tu antem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſq; ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia: impono igitur finem præſenti tractationi, vſq; ad illud tempus, quo, prouidentisſimus Deus ut ſpero, me excitabit, ut aliquid addam: interim, precor eius Maieſtatem, vt multi hunc libellum perlegẽdo pertranſeant, & multiplicem ex eo ſcientiam aſſequantur, cum pietate coniunctam.

Laus Deo, & Angelis Sanctis.

DISCIPLINA SPIRITVALIS

AD CHRISTIANOS DECVRIONES: quæ poſſunt in ſua vitæ conditione, ſeipſos excolere virtutibus ſanctis.

CVM genus humanum, infinita,& æterna charitate Dei dilectum fuerit, & poſtea creatum, vt ſanctiſſimis pręceptis ſuis diligenter obſeruatis, ex hac vita mortali ad ſempiternam gloriam per tranſiret, non omnibus vnam vitæ conditionem propoſuit, ſed varijs ac diuerſis vocationibus, quaſi gradibus ad promiſſa præmia inuitauit; quemadmodum in circulo omnes lineę, diuerſo, & ſeparato ductu ad centrum referuntur: quod equidē illa ratione fecit, præcipua inter cæteras ſapientiſſimus Deus, vt eius Diuina attributa fierent illuſtriora,& homines mutuis officijs poſſent pręſentis vitę commoda curare: quamobrē, unuſquiſq; debet in eo vitæ genere, quod fauente Deo nactus fuerit, ita elaborare, vt in beatorum ſpirituum numerum aliquando aggregari mereatur: quod ſanè in ſacris fuit literis peregregie ſignificatum: quando, vt ſubduceret Deus populum eius dilectiſſimum tot incommodis,

quæ

quæ ſeuitia Pharaonis perferebat, fecit diuiſiones in mari rubro,& vnuſquiſq; illud ingrediens per ſuam diuiſionem, ſibi oblatam, tutus euaſit, id igitur ſtudioſe curent Chriſtiani Decuriones, ad tantum munus Deo promouente euecti, vt omnes ſuas cogitationes, verba, atq; facta ita componant, quod Diuinam grariam,& gloriam ſibi concilient: neq; ſe decipi ſinant imperitorũ narrationibus falſis, quod tantummodo Religioſi homines, ad Chriſtianam perfectionem aſſequendam debeant ſua ſtudia dirigere omnes enim Euangelica lege, & Saluatoris noſtri exemplis, in omni virtute eminentisſimis ad eam inuitamur, & eius meritis poſſumus adiuuari, neq; aliud nos in vſu virtutum impedire poteſt, vel in huius diſciplinæ profectu retardare, præter ignauiam,& ſocordiam noſtram, cum deprauata voluntate coniunctam: Si enim artes mechanicæ, ſtudia liberalia, munera Ciuilia, & quæcumq; alia vitę genera à Deo hominibus conceſſa, ad ciuilem ſocietatem conſeruandam, excluderent nos ab ea perfectione mornm, de qua loquor iniuſte feciſſet iuſtisſimus Deus, ad eam nos vocando, & illis poſtea rebus occupando, quæ propoſito fini repugnarent. Vt igitur Decuriones, posſint operationes ſuasnternas, & externas cum fructu, & ſpe æternę gloriæ explicare, nonnulla præcepta in hunc locum cumulaui, vt prius mihi ipſi, mox & alijs vltimum finem meditantibus, lumen, & auxilium afferam illiſq; præcipuè, qui meliore iudicio prędití, illa intelligere ac deguſtare poterunt.

Præceptum primum.

QVamquam, in ordinem Decurionum admiſſi, hac Ciuili dignitate, ſtudijs amicorum ſuffragantium decorati fuerint, hoc tamen perſuaſum habeant, Deo Opt. Max. illorũ promotionem accepto eſſe referendam, qui maiori parti conſiliariorum, vt ita facerent, eum ſenſum dederit, dicantq; cum Regio Propheta Pſalm. 88. Domini eſt aſſumptio noſtra, qui humanis voluntatibus vtitur tanquam inſtrumentis, ad hæc inferiora gubernãda: Si igitur, Domini, eſt aſſumptio ſua, vti illam efficientis, permultis rationibus congruit, vt ad eundem, quaſi vltimum finem dirigatur: quod certe continget, ſi eius dũtaxat gloria, non priuata delectatio, aut commodum principaliter curetur.

Præceptum ſecundum.

CVm aſſumptio Decurionum ſit aſſumptio Domini, ſtudeant eum his internis actibus venerari: meditentur, & colant infinitam eius prouidentiam cum ſumma bonitate coniunctã, qui cum ſummopere cupiat humanum genus his rebus abundare, quibus Ciuilis fœlicitas cõtinetur, eos ad tantum munus euexerit, tanquã ſuæ Maieſtatis adminiſtros, qui multitudini hominum præſint, non deſinant, ſumma, & pia demiſſione animi, quas poſſunt maiores, & aſſiduas illi gratias agere: ſuam imbecillitatem

agnoſcant, & eum deprecentur, vt ſibi, & cæteris Decurionibus ſpiritus ſancti lumen in omni conſultatione præferat, vt omnes Ciuium ordines, tanquam pupillos ſibi diuinitus commendatos bene gubernent, quos propterea in fidem recipiant, publica commoda, priuatis rationibus præponentes.

Præceptum tertium.

OPtimum igitur factu arbitrarer, vt noui cõſiliarij, priuſquam huius muneris poſſeſſionem caperent, totius anteactæ vitæ peccatorum iuſta confeſſione, in gratiam cum Deo redirent, ſacroſanctoq; Altaris Sacramento communiti, nouam, & meliorem vitæ rationem, caperent, vt Chriſtianas virtutes aſſequantur, perſuaſum habentes, ex ſæpe repetito vſu Eccleſiaſticorum Sacramentorum, tantum roboris diuina pietate ſe in dies conſecuturos, vt hoc tam graui munere perfungentes, Deo optime ſeruiant, laudemq; ſibi, & ciuibus vtilitatem publicam comparent. quibus, valde dolendum eſſet, ſi dignitate, & officio præcederent, Chriſtianis verò virtutibus minimè antecellerẽt, quia neminem decet imperare, qui non ſit melior ſubditis, vt dicebat ille.

Præceptum quartum.

VBi electio nouorum Decurionũ à Principe confirmari debeat, maximis precibus à

Deo contendant, vt eam bene dictionibus Sanctis proſequatur;ad certa m opinionem adducti pesſime ſecum actum iri, ſi habuerint auctoritatem gubernandi à Principe confirmante, & non obtinuerint facultatem bene, & pie regendi à Deo benedicente: quemadmodum igitur, humanis officijs apud Principē agi ſolet,ita ſanctorum patrocinio apud Deum vtantur, & maxime Angelorum, quorum cuſtodiæ crediti ſunt, vt diuinis donis cumulati, ſeipſos in primis optime regere diſcant,quam propriam ſui gubernationem, cum Chriſtiana pietate coniunctam, niſi aſſequantur, impoſſibile eſt, eos ſine grauiſſimis, et infinitis erroribus in hoc periculoſisſimo officio uerſari.

Præceptum quintum.

QVando a Principe confirmati, accedunt ad præſtandum illud iuramentum,quod more maiorum defertur ab his, qui publicam habent poteſtatem illud deferendi, priuſquam in poſſesſionem ordinis inducantur, animo reuoluant, ac deuote meditentur, eam poteſtatem à Deo deſcendere,ſe propterea in manibus Dei ſubire iuramentum, circumſiſtentibus Angelis Sanctis, qui, pro communitate ſtipulentur, quapropter, huius iuramenti maximam, & perpetuam memoriam teneant, cum ſumma reuerentia, vt omni priuato reſpectu poſthabito, ſuum obeant munus; nihilq; prætermittant, quod fidelem Dei adminiſtrum, Patrem patriæ, & publicum tutorem deceat.

Præceptum ſextum.

VT omniaq; cogitata verba, & opera Chriſtiani Decurionis, ſibi prodeſſe posſint, ad ſalutem æternam comparandam, operæ pretium eſt vt intelligant, & aſſiduè animo verſent, quæ ſcripſi ad chriſtianos Aduocatos cap. 4. ſpiritualium exercitationum. Omnes operationes noſtras, licet iuſtisſimas, ſi conferantur cum illa puritate Dei inexplicabili, ſimiles eſſe, atq; dici, pannis mulierũ mẽſtruatarum, quas propterea dealbare debemus in ſanguine Agni, qui immundisſima poteſt, vt niuem reddere, hoc igitur præceptum memoria recondant Chriſtiani Decuriones, vt quidquid faciunt, dicunt, aut cogitant, ſemper offerant vnitum, atq; coniunctum cum operationibus Chriſti, & ſanctisſimæ Virginis; cum obſequijs Sanctorum nunquam ceſſantibus, & cum alijs oblationibus Eccleſiæ ſuę ſanctæ: Quemadmodum enim gutta aquę, commixta mero genoroſo, aſſumit illius odorẽ, ſaporem, & colorem, ita operationes noſtræ cõmixtæ memoratis Chriſti operibus, & Sanctorũ, deferuntur ad Omnipotentem Deum, qui, hilari, ac læto animo illas benigne excipit ad præterita peccata expianda, & virtutes elargiendas: quod ſi Decuriones, non poſſunt ſingulis actibus, tam longam, & piam oblationem explicare, illam animo concipiant, & vbi caſus acciderit, extollant mentem in Deum, dicentes, offero tibi, & cœtera, vnitum, & cœtera, & pre-

cor. & cœtera, qua Sancta, & fructuoſa exercitatione, ſi animum ſuum excolere nitantur, maximam gratiam à Deo inibunt; qui imperceptibili flagrat deſiderio, vt humanæ operationes, in ſe ipſis viles atq; ſordidæ, nobilitentur à meritis Chriſti; quem pro nobis, morti ſubiecit: itaq; fiet, vt quælibet minima actio, aut cogitatio, Diuina charitate, hoc modo in Deum relata, infinitum cumulum, & gratię, & gloriæ conſequatur.

Præceptum ſeptimum.

ORe prophetico cōqueritur Spiritus ſanctus, Deſolatione deſolatam eſſa vniuerſam terram, quod nemo ſit, qui recogitet corde, pauciſſimi enim ſunt illi ſæculares, maxime inter Decuriones, publicis & priuatis negotijs ſemper occupatos, qui diuinas conſolationes noſcant, atq; vt æquum eſt, æſtiment, quas, Deus elargiri ſolet diligentibus eum, admodumq; rari ſunt, qui ſeparare ſtudeant pretioſum à vili, ut ore Domini loqui poſsint, propterea quod, in ſanctas cogitationes meditando minime incumbunt, quibus diuino lumine anima illuſtratur, purgatur, atq; cęleſtibus deſiderijs inflammatur. ſibi perſuadentes, ad tantum Chriſtianę perfectionis gradum ſe perueniſſe, quantum quibuſdam externis exercitationibus, arbitratu ſuo delectis, ſe quotidie occupauerint, quam maximo autem errore decipiantur, expendant quæſo ſuos internos affectus atq; motus: ꝓſpiciēt equidem,

dem, ſe priuatis cupiditatibus æſtuare, nihilq; curare minus, quam gloriam Dei, & publicum bonum, timidos ſe agnoſcent, ad alienas voluntates offendendas, ubi recta ratio illos cogat magis libere loqui, vel fortiter agere: Impotentes ad ea pferenda, quæ proprio ſenſui aduerſantur, chriſtianarũ virtutum imperitiſsimos, ſine quibus impoſsibile eſt placere Deo, hunc igitur pernicioſum errorem, vt penitus abijciant, hortor in Domino, vt ſaluberrimæ meditationi ſe dedant rerum diuinarum, præcipuè illarum, quas, Dominus Saluator noſter, ad noſtram redemptionem ſimul, & inſtructionem fuit operatus.

Præceptum octauum.

VAlde intereſſe putant ſancti viri, Diuino ſpiritu, ac vſu diuturno eruditi, quo genere cogitationum imbuatur humana mens, cum primum, ſummo mane è nocturno ſomno expergiſcimur. Si enim noxijs, & inutilibus occupetur, vix poteſt tota illa die ſe colligere, & effrænatos animi motus coercere, quod cum probè ſciat ſagaciſsimus, & implacabilis humani generis hoſtis, emittit ex ſuis quoſdam ſpiritus, vt illo temporis momento, quo, finito ſomno, aliquid cogitari poteſt, humanam mentem preueniendo, malis cogitationibus inquietet: quapropter, hoc ſanctiſsimum monitum altas radices agat in mentibus Chriſtianorum Decurionum, vt primitias ſuarum cogitationum Omnipotenti Deo

ngulis

ſingulis diebus offerre aſſueſcant, vt ſuæ Maieſtati gratificentur, & impetrent ab ea gratiam bene cogitandi, loquendi, & operandi, nihil fructuoſius quotidie fieri poteſt, ad hoc publicum munus, & reliquas humanę vitæ actiones rectè obeundas: valde enim cuſtodibus Angelis delectabile, & iucundum accidit, ſi humana mens, illorum ſanctiſsimas motiones cognoſcat, atq; ſequatur, qui & ipſi pro munere ſibi diuinitus iniuncto, & maxima charitate, qua in homines inflammati ſunt, quantum poſſunt, elaborant, vt non ſolum cogitationibus ſanctis eos pręueniāt ſed etiam, vt aſsiduè detineant.

Præceptum Nonum.

DEcuriones hora legitima ad Conſilia accedentes, offerant Sanctiſsimæ Trinitati illā actionem obedientiæ, pietatis, & iuſtitiæ, vnitā & cętera: qui enim illos venire iubent, poteſtatem habent à Deo cogendi, & conuocandi: maximam quoque pietatem in patriam exercent, & Ciuilis iuſtitiæ legibus ſatisfacientes, rem Deo gratiſsimam faciunt: quod ſi quis eos retrahere conetur, aliquo priuato negotio propoſito, illud ad breue tempus prætermittant, offerentes vt ſupra, eam qualem qualem moleſtiam, quam percipere poſſent, maximamq; fiduciam in Deo conſtituant, ſuis domeſticis rationibus, eum, pro infinita ſua miſericordia, cumulate conſulturum, tantoque vberius, quanto maiorem ſpē; chriſtiana pietate, non ſuperbia nitentem, conceperint;

ceperint: Sacrificate ſacrificium iuſtitię, & ſperate in Domino, inquit Propheta Regius Pſalm. 4. quem actum chriſtianæ fiducię, offerant, eo modo quo docui.

Præceptum decimum.

INgredientes Aulam Conſilij, extollant oculos corporis, & mentis aciem in ſacroſanctam imaginem Chriſti Crucifixi, quæ laudabili, & chriſtiano more, in huiuſmodi locis, eminente ſitu eleuata, ab omnibus colitur Saluatorique noſtro, hoc particulari actu dicent ſua facta atque cogitata, vt posſint, cum Regio Propheta Pſal. , Eructare verba bona ad gloriam Dei, & populi vtilitatem. Super qua imagine, ingredientes, ponant affectus ſuos, & egredientes dimittant ſecreta conſilij, vt infra ſuo loco monebo. Vbi verò omnium primi, vel inter primos conuenerint, non ſinant ſe tædio aut impatientia inquietari, quod alios expectare cogantur, tum quia neceſſe eſt, ut aliqui alios antecedant, tum quia occaſionem habent tantæ uirtutis exercendæ: quo circa, compoſito animo collegas expectent, & aliqua bona cogitatione interim occupentur, offerentes Deo, illam leuem moleſtiā, unitam, & cæteea. Qnod ſi iſti primi, fuerint ex his, quos, exiſtimatione, & auctoritate Deus præcæteris aliquantum extulerit, ſciant, ſe hoc bono exemplo chriſtianæ patientiæ poſſe alios excitare, vt maiore diligentia conueniant, & vbi opus fuerit, quos non adeſſe viderint, æquo animo ex-

pectent

pectent, quod ſanè virtutis exemplum, offerant vnitum, & cætera: Sæpe etenim vſu venire ſolet, vt propter nonnullorum Decurionum vitioſam im patiẽtiam, vel non cogatur Conſilium, vel nimis tardè, indeq; fit, vt rerum publicarum adminiſtratio in peius quotidie prolabatur.

Præceptum Vndecimum.

VBi conſederint de publicis negotijs cõſultaturi, nõ ſtatim effutiant quidquid in buccam venerit, ſed maxima prudentia, in Deum, & Patriam relata, rem propoſitam bene meditentur: quod ſi permiſerit ſapientisſimus Deus, in talem eos venire ſentẽtiam, quæ cæteris quoq; probetur, nihil ſibi impudenter arrogent humanæ laudis, & gloriæ, ſed intimis ſenſibus Deo gratias agant, non verborum copia, ſed pio mẽtis affectu; quod officium gratiarum agendarũ, offerant vnitum, & cetera; abſque vllo dubio credentes, Diuinam illam Maieſtatem maximo deſiderio teneri, vt homines eam corde cognoſcant, & ore fateantur omnium bonorum datricem, & effectricem. Si verò omnes alij Conſiliarij, aliquo, vt ſæpe fit applauſu, ſententiam ab vno dictam receperint, minimè commoueantur animo qui aliter ſentiebant. Sed Deo gratulentur, qui, ſuis creaturis, in tempore atque loco prudentisſimè vtitur, maximumq; in ſe ipſis excitent deſiderium, vt ab omnibus perfectè diligatur, quod offerant ſemper vnitum vtſupra, nihil præterea optantes, quàm, vt patria ad laudem Dei bene gubernetur.

Præ-

Præceptum Duodecimum.

ALiqui ſunt in publicis Congregationibus, qui vel imperitia, vel difficultate naturæ, nihil vnquam boni dicunt, quod à primis,& veris principijs intelligant, ſed aliorum dictis,ſemper aduerſantur, horum equidem defectus morales, ſiuè naturales, ſummopere congruit chriſtianæ diſciplinæ, vt qui Deo placere ſtudent, æquisſimo animo perferant,rogantes Deum, vt virtutes his vitijs contrarias illis elargiatur. offerantq; huiuſmodi actus moderationis, & patientiæ, ſimul, & charitatis vnitos &c. Maxima inſuper demisſione animi Deum venerentur, quod ſibi benignè, & gratis dederit, quod alijs negauit; quem actum offerant in forma.

Præceptum Decimumtertium.

COngregationes aliquando protrahuntur, vel tarde inchoatæ, vel grauibus rebus occupatæ, quo fit, vt nonnulli tantæ moræ impatientes, vel nimis properè diſcedant, vel ad res propoſitas non attendant: aſſueſcant igitur has pasſiones comprimere, atque moderari, deuorantes ad gloriam Dei, id parum moleſtiæ, quo ſe affici ſentient, & offerant ut ſupra,& præcipuè, cum illa fatigatione Saluatoris noſtri, qui, ex longo itinere, hora ſexta, ſedebat ſuper fonte, ut mulierem Samaritanam, conuerſurus expectaret,illudq; grauisſimum negotium,ab æterno

Patre ſibi mandatum conficeret, cuius ſacratisſima hiſtoria hodie fuit à ſacris concionatoribus luculenter, utinam & fructuosè, explicata.

Præceptum Decimumquartum.

EA eſt pręſentis ſæculi morum corruptio in Communitatibus adminiſtrandis, ut priuatæ ſimultates, in publicam pernitiem exerceantur, ubi enim aliquid proponatur ab eo, erga quem, nonnulli ſint male animati, uel ille ad aliquod officium nominetur, quæ dicit improbant ſuffragando, & eius nominationi ſemper aduerſantur, rem igitur Deo gratisſimam facient, ac ad ſpiritualem profectum fructuoſisſimam, ſi has priuatas animorum alienationes, Diuinæ legi, & publico bono ſubijcient, offerentes &c. & quæcumque in conſilijs proponantur, in ſe ipſis examinent, non auctorem ſententiæ conſiderent, eligantq; ſemper ad officia meliores, non amiciores.

Præceptum decimumquintum.

EX Superiore præcepto deducitur præſens in ſpecie contraria, ad eos informandos, qui cum nominato iuncti ſunt amicitia, uel ſanguine, quem, ſi cognouerint ad munus propoſitum minimè idoneum, uel alteri nominato meritis inferiorem, comprimant hunc priuatum reſpectum amore Dei, & patriæ charitate, offerentes hanc ſubactionem naturalis affectus, unitam ut ſupra:

ſupra: illumq; habeant amicum, uel conſanguineum, qui Deo, & Patriæ melius ſeruire poſſit. Cum enim, ut ſæpe dixi, Chriſtiani Decuriones ſint miniſtri Dei, in eo debent ſuam fœlicitatem ponere, ut eius ſanctæ uoluntati ſubijciant præceptum humanæ prudentiæ, vt egregiæ ratiocinatur Aegid. Rom. de regimine Principis lib. 1.part.1.cap.12.

Præceptum Decimumſextum.

CVm non poſſint publica negotia definiri, abſq; præſentia Magiſtratus, qui congregationibus præſideat, ſolent aliqui ex Decurionibus honoris cauſa ad eum accedere deducendum; qua in re, colere ac venerari aſſueſcant poteſtatem Magiſtratus, atq; dignitatem, vt maximum donum à Deo ſibi collatum, offerentes &c. Summopereq; cupiant, vt in obeundo officio ita laudabiliter verſetur, vt diuina gloria poſſit augeri, poterunt etiam ſublata mente in Deum, ab eo petere, vt Spiritum Sanctum ſuum elargiatur, toti conſilio prędominaturum, parum enim, vel nihil, proderit aſſiſtentia Officialis, ſi Diuinus Spiritus ab fuerit.

Præceptum Decimumſeptimum.

SOlent aliquæ Communitates certa die anni, erga ſuos Decuriones, leui quodam munuſculo tum honoris, tum amoris teſtimonium exhibere, propter annuos labores, ab eis pro Pa-

tria ſuſceptos: quę conſuetudo, quemadmodum valde laudabilis eſt, ita ſummopere probarem vt Chriſtiani Decuriones, hoc exemplo Communitatis in ipſos, pium aliquod in Deum inſtitutum ſuſciperent, quo, animi ſui gratitudinem teſtarentur, ſeq; agnoſcerent tantæ Maieſtatis adminiſtros, cum debita gratiarum actione, pro omnibus his, quę pro ſua pietate illo anno per Decuriones fuit operatus ad publicam vtilitatem, quę pia officia, offerant vnita &c. inrer quæ, nihil Deo gratius, nihil illis vtilius exhibere poterunt, quam, conſcientia prius, peccatorum confesſione expiata, ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, vt omnes fideles pie concipere, & meditari poſſunt Regium Prophetam inuitaſſe illo Verſiculo Pſalm. 115. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: inuocent ergo ſanctiſſ. Trinitatem commemorantes infinita merita Saluatoris noſtri in anguſtisſimo velamento latentis, vt ſuum intellectum omnibus erroribus expurget, & mentem diuinis deſiderijs inflammet, quo posſint intelligendo proſpicere, & alacriter agere, quæcumq; recta ratio gerendæ Reipub. poſtulabit.

Præceptum Decimumoctauum.

ALiquando nullus reperitur hæres occiſorũ, & rogantur Decuriones, vt iniuriam homicidæ remittant, & pacem faciant: qua in re, in primis cogitent, huiuſmodi actibus Chriſtianæ

chari-

charitatis, ſupra quam dici uel cogitari posſit, Deum delectari, cui propterea ipſum offerant vnitum &c mox memoria repetant, defunctum non poſſe amplius quicquam facere, quod ſibi proſit ad beatitudinem conſequendam:quamobrem Chriſtiana pietate accenſi extollant mentem in Deum, pręcantes, vt ignis purgatorij pœnas, condonet illi atq; remittat, & quemadmodum ipſimet Decuriones, nomine Ciuitatis pacem faciunt cum delinquente,ita, intimis ſenſibus à Deo efflagitent, vt culpam patrati delicti miſericordia ſua delere dignetur,offerētes hunc virtutis actum, in forma ſupradicta:& ſummopere cupientes, ne Deus, pro ſua infinita bonitate ab omnibus ſemper diligendus, unquam offendatur.

Præceptum Decimumnonum.

IN adminiſtranda Ciuitate, imposſibile eſt placere omnibus, vt propria quęſtione huius libri fui perſecutus, multorumq; uoluntates offenduntur qui,inordinatis affectionibus perturbati, odio conſiliarios habent, qui libere loquēdo, & fortiter operando, illorum malis conſilijs reſtiterunt. Quamobrem neceſſe eit, ut boni Ciues, & chriſtianæ diſciplinæ alumni, animorum à ſe alienatorum quotidiana ſigna ex periantur, quibus, inferior animi,& ſenſitiua pars,pro humana imbecillitate commouetur:Veruntamen, bono ſint animo, atq; conſtanti, auideq; huiuſmodi præclaras occaſiones amplectantur, maxi-

mam à Deo gratiam promerendi,quibus, vt hoc modo ſe exerceant, amantiſſime præcipio:hilari animo excipiant,& vno faſciculo comprehendant, quidquid acerbi, aut moleſti, ſingulis momentis perpetientur, ab hoc genere homunculorum, qui omnia vellent ad ſuam fluere voluntatem, illudq; Angelo cuſtodi conſignent, ad Sãctam Trinitatem deferendum, vnitum in forma. hi etenim beatiſſimi Spiritus, ſpiritualis progreſſus noſtri ſtudioſiſſimi, tanquã fideles negotiatores, has terrenas merces ſuſcipiunt, hoc eſt amaras res, & iniucundas, ad laudem Dei libenter toleratas, miraq; lætitia exultantes, Diuinæ Maieſtati repræſentant, ad quam oblationem cum nihil ibi moleſti, neq; luctus, neq; clamor, neq; vllus dolor reperiatur, totus ſanctorum cœtus, veluti ad rem nouam accurrit: Quoniam in illa cœleſti Patria,hæc ſigna auerſi animi minimè conſpiciuntur, cum omnes, in Deo, perpetua.& indiſſolubili charitate coniuncti ſint, inde, hi ſancti negotiatores, referunt ad conſiliarios, amore Dei,& Patriæ male tractatos, copioſiſſimas Diuinæ gratiæ acceſſiones. quibus communiti, facile poſſuut ad Chriſtianæ perfectionis faſtigium peruenire.

Præceptum Vigeſimum.

VBi aliquis Conſiliarius, ad nulla negotia, vel pauca adhibeatur, animo ferat moderato, quidquid Deus in ipſum diſponat atq; permittat, totumq; ſe offerat Diuinæ voluntati,

tanquam

tãquam inutile prorſus Inſtrumentum,ex ſe ipſo nihil habens, in publicam vtilitatem conferendum, quem actum Chriſtianæ demisſionis,& patientiæ, offerat vnitum &c. memoriaq; repetat, ipſum Saluatorem noſtrum, omnibus perfectionibus iure proprio cumulatisſimum,per multos annos nihil egiſſe, quod ſacroſancti Euangelij memoria celebretur,illud tempus expectantem, quo, diuina ſua attributa, ſanctisſimis operationibus manifeſtaret, vt inde, omnis conditionis homines erudiantur, ad otium libenter, & ęquo animo tranſigendum, vbicumq; Deus nolit illis vti, aliquando tamen vſurus, inuitis, & mirantibus alijs, ſi ad ſuam Diuinam gloriam augendam, opus eſſe iudicauerit: id ergo intimis ſenſibus cupiant, & precibus petant,Chriſtiani Decuriones, vt Diuina voluntas perficiatur, & communitatis bonum augeatur, id quod, modo cõtingat, ſuperuacanea ſollicitudine non inquietentur. Si dominus his opus habet, & non alijs, ſufficit ſi habeant paratam voluntatem ſeruiendi Deo, & Patriæ. Non poteſt eſſe ocioſa, virtus boni Ciuis, inquit ſeneca, de Tranquill. animi: quod multo verius dici debet, de eo bono Ciue, qui Chriſti præceptis informatus, in eo totus ſit vt virtutibus ſanctis cumuletur, multum enim exemplo prodeſſe poterit, ad nimiam illorum cupiditatem comprimendam, qui, impatientes otij, omnia Diuina, & humana præcepta in publicum damnum, perturbant: quem ſanè optimi exempli actum, offerant vnitum ut ſupra.

Præceptum Vigeſimumprimum.

PRæceptum proximè explicatum, inuitat me ad eos Decuriones in hac ſpirituali diſciplina erudiendos, quorum opera, ſæpius quã aliorum Communitas vtitur. Si enim multi cadunt, & peccant, in rebus moleſtis, & iniūcundis minus ęquo animo perferendis, profectò multò plures in ordine Decurionum reperiuntur, qui delectabilibus, atq; ad voluntatem fluẽtibus, vti non ſciunt, quemadmodum Chriſtus iubet, & ipſi deberent, Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, inquit Dauid. Pſalm. 90. Ideo diligentisſimè caueant, qui, vel auræ popularis afflatu quodam temerario, in omnibus comitijs ſuperiores euadunt, vel probatis virtutibus, & ſolidis adiumentis Ciuilis facultatis commendati, ad multa, & maxima negotia adhibentur, ne, ſuperbia inflati, Deo iniuriam faciant, & ſibi exitium parent, animo ſępe meditentur, vtq; id cum fructu faciant, Diuinum auxilium petant, ſe nihil habere quod à Deo non acceperint, quam ſanctam, & ſalubrem cogitationem offerant vnitam &c. Doleant ſe in tractatione rerum, Diuinæ vocationi minime reſpoudere, & hunc dolorem, offerant vt ſupra, quod ſi, quemadmodum Deus poſſet, ita vellet alijs Decurionibus vti, pie cognoſcant, & fateantur ingenuè, vnumquemq; aptiore fore ad publica negotia melius tractanda, & perficienda quem actum offerant &c. In ſumma habeant in

mente

mente fixum, quod ſcribit Seneca, de Tranquillit. animi, eum, qui multa agit, ſæpe ſui poteſtatem fortunæ facere, proinde, hi Decuriones de quibus ago, quanto plura, & maiora negotia pertractant, tanto maioribus periculis implicãtur, & egent asſiduo Omnipotẽtis Dei auxilio, quod implorare non deſinant.

Præceptum Vigeſimumſecundum.

CVm vnaquęq; Communitas abundet in ſenſu ſuo, Decuriones vario ordine ſedere ſolent in publicis congregationibus, aliquando iuxta ordinem receptionis: non nunquam, vnicuiq; ſuus datur locus proprijs meritis conueniens; quandoque ſine vllo diſcrimine ſedent, prout caſus tulerit. Vbi tempus receptionis attenditur, cogitent, à quanto tempore recepti ſint in numerum chriſtianorum, & an virrutibus Sanctis, iuniores antecedant: Doleant iacturã totius atẽporis retroacti, ſuſcipientes melioris vitæ propoſitum, quos actus, offerant vnitos &c. Et Angelis ſanctis commendent apud Deum perficiendos. Vbi cuiuſque merita ac dignitas reſpiciuntur dirigant mẽtis aciem, in illum beatorum ſpirituum numerum omnibus bonis circumfluentem. Si enim tantopere delectat vnicuique ſuum locum dare, virtutibus debitum, quæ profectò iucunditas beatas mentes implebit, viſuras iuſtisſima voluntate Dei, ſingulis eis asſignari locum, qui anteactæ vitæ, laboribus, & meritis congruere exiſtimabitur? concipiant ani

mo vehementisſimum deſiderium in chriſtianæ vita multum proficiendi, vt eminentiorem in Cœlo ſedem, quam aſſequi posſint Deo miſerante, & maxime cupiente conſcendant, nunquam inde deturbandi: Quando vero, ſine vlla diſtinctione ſedent, conentur ſuis rectè factis, gratiam Dei, & optimam hominum de ſe exiſtimationem conciliare, vt digni haberi posſint, qui ſuis virtutibus præmia debita aliquando aſſequantur: abhorreant, & deteſtentur omnium humanarum rerũ confuſionem, quæ quotidie perſpicitur, ardeantque deſiderio Cœleſtis Patriæ, vbi admirabilis ordo, in omni æternitate inuariabiliter obſeruabitur.

Præceptum vigeſimumtertium.

IN Ciuili ſocietate ordinis Decurionum nonnulli ſunt, qui magna dicendi ſuauitate, & copia excellunt, & ſumma prudentia ſententias dicunt, multiſque alijs ornamentis à Deo cumulantur: Erga quos, poſſunt huiuſmodi actus chriſtianæ virtutis exerceri, ab alijs Conſiliarijs: quos propterea in Domino hortor, vt Deo gratulentur, & gratias agant, quod Diuinæ perfectiones in illis Conſiliarijs, aliquo modo eluceant, illaſque colant tanquam Diuina dona eis communicata: & ſummo gaudio exultent, propter omnes laudabiles operationes, quas ab eis in dies fieri animaduertent; quas deinde cupiãt Diuinæ Maieſtati gratas eſſe, atque acceptas, quos actus offerant unitos &c. adijciant quoq;

ani-

animum ad recolendas uirtutes Chriſti Saluatoris noſtri,qui, grauitate, ſuauitate, facilitate morum, dicendi diuina ui, prudentia, & omnibus perfectionibus ſupereminebat. Si enim, in eis Decurionibus aliquid obſeruant laudabile, quanta profectò veneratione proſequi deberent Dominum noſtrum diuinis omnibus dotibus cumulatisſimum. Huius ſalutaris præceptionis ſumma ſit, ut ex omnibus uirtutibus Decurionum, conſtituant ſibi gradū ad attributa Diuina, ex aliqua, licet minima particula intelligenda,ut poſtea posſit eorum uoluntas, debitos pietatis actus producere.

Præceptum vigeſimum quartum.

IN hoc libro docui, non ſolum valde conferre ad rectam regendi formam addiſcendā, verum etiam lege conſcientiæ debere conſiliarios legendis libris operam dare,ex quibus hauriri posſint præcepta Reipub. gerendæ:cum igitur aliquem probatum auctorem in manus ſumpſerint, offerant huiuſmodi lectionem vnitam &c. non curioſitate pretioſisſimum tempus conterentes, ſed ad Diuinam gloriam augendam cupiditate moti, eā intelligendi,quæ in publicis rebus conſultandis, & adminiſtrandis, maximo ſibi poſſunt eſſe adiumento: quamobrem,aliqua breui, ſed ſtudioſa oratione in Deum elata, petant tantum ſui Diuini luminis, quo posſint intelligere, & memoria comprræhendere, quæ, legendo obſeruauerint; ingenuè credentes, & cō-

ſiten-

ſitentes, ſine Diuina ope, omnes animi operationes eſſe penitus inutiles, hoſq; internos actus, offerant vt ſupra.

Præceptum vigeſimumquintum.

EX magno numero Decurionum pauci ſunt, qui cupiant, & intimis ſenſibus optent, Cōmunitates Ciuili fœlicitate potiri: multò verò pauciores, qui, hoc laudabile deſiderium eò dirigant, vt Diuinæ Maieſtati gratum ſit, atque iucundum: quod vt aſſequi poſſint, cogitare aſſueſcant, Diuinam illam, & ineffabilem bonitatem, ardentiſſimo ſtudio deflagrare, vt totum humanum genus, bene atque fœliciter in hac vita gubernatum, diſponatur ad æternam beatitudinē, quam præparauit diligentibus ſe, quamobrem, non ideò cupiant Chriſtiani Cōſiliarij Rempub. bene regi, quod in communi bono, illorum proprium contineatur, vel quod non mediocris acceſſio laudis ad illos poſſit pertinere, & ſimilia, ſed quod Deus cupiat, & illis, vt ita cupiant, iubeat atque præcipiat quæ deſideria, & ſtudia, offerant, vnita &c. & ab omni proprio eorum cōmodo penitus ſeparata: nihil enim perfectius, & purius in hoc genere poteſt offerri Deo, quam huiuſmodi deſiderium, quod, qui poteſt capere, capiat, & vt omnes capiant, oratione pia apud Deum enitatur.

Præ-

Præceptum vigeſimumſextum.

VNa peculiari quæſtione huius libri, hortatus ſum Chriſtianos Conſiliarios, vt, ſi poſſint, veniant præmeditati ad Conſilium, quod ſi facient, ita ſe exercere poterunt; Cum multa excogitauerint argumenta, ad perſuadendum, vel diſſuadendum, Spiritus Sancti gratiam ſtudeant obtinere, ne quidquam ex ore ſibi excidere patiatur, quod Deo diſpliceat: aliquãdo enim erramus, intelligendo, vel dicendo, ignorantia decepti, uel ardore animi abſtracti: quod ſaluberrimum præceptum, me docuit hac die Secunda hebdomadæ Sanctæ 1613. grauisſimus unus, & Religioſisſimus Concionator; maximũ ſe inde fructum colligere profitens: quod libenter amplector, cum probè ſciam, & ut melius ſciã quotidie laboro, omnia mala à nobis, omnia bona à Deo proficiſci.

Præceptum vigeſimumſeptimum.

VBi aliquis ad publicum officium, uel negotium tractandum nominetur pluribus ſuffragijs obtenturus, poterunt Chriſtiani Decuriones, ad quos pertinet ius ſuffragandi, ſublata mente in Deum, illius lumen efflagitare, & Apoſtolos ſanctos inuocare, ut quemadmodum ſors cecidit ſuper Mathiam ad uoluntatem Diuinam teſtificandam, ita eorum ſuffragationem diſponere dignetur, ad eum eligendum, cuius opera

publi-

publicum Patriæ commodum, ac Diuina gloriâ poſſit promoueri: quod ut obtinere poſſint, comprimant priuatas affectiones, illumq; Dauidis uerſiculum in promptu habeant, à D. Bernardo toties celebratum. Notam fac mihi uiã, in qua ambulem; quia, ad te leuaui animam meam: quando enim leuamus animam ad Deũ, ab omni amore proprio ſeparatam, ualidiſſimũ habemus argumentum, impetrandi cognitionem neceſſariam, omnium agibiliũ, quos actus offerant unitos &c. & maxime cum illo Apoſtolico, de quo ſupra.

Præceptum vigeſimumoctauum.

QVi in Ciuium multitudine verſantur nihil frequentius vident, quam, quaſdam Aulicas, & officioſas altercationes præcedendi, omnibus conantibus, primos locos cedere, & eos aliquando colere, quos è numero viuorum cuperent exterminari, quæ, vt ingenuè verum fatear, ſæpe ſtomacum mouent Chriſtianis viris, & coram Deo ſunt inſipidiſſimæ, vt igitur fructum conciliare poſſint ſpiritualis profectus, vnuſquiſque ſtudeat ex animo, & vere, alios meliores ſe exiſtimare, eorumq; virtutes, & merita, huiuſmodi exterioribus ſignis venerari ad gloriam Chriſti Saluatoris noſtri, qui his virtutis actibus valde delectatur, oblatis &c. quemadmodum enim, vita, & moribus fuit perfectiſſimus, ita, conuerſatione ſuauiſſimus.

Præceptum vigeſimumnonum.

IN Conſilijs Communitatum illuſtrium inteſ reſſe ſolent famuli publici, Conſilio ſeruientes,qui Decurionibus, è Cathedra plana,in medio poſita ſententiam dicentibus, ſtant uno genuflexo ne auditores impediant: quod cum mecum ipſe ſæpe conſiderauerim,in ea me meditatione defigebam,Spiritum ſanctum ſemper alloqui animam noſtram, proponendo bona, quæ agamus, & detegendo mala quæ vitemus: nobiſque elaborandum eſt, vt tantum, ac tam fidelem Conſiliarum audiamus, Dauidico præcepto eruditi, qui, pro unoquoque noſtrum Deo pollicetur audientiam, dicens,Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Multa autē ſunt quæ huiuſmodi internam locutionē impediunt quo minus audiamus: Intellectus elatus,uoluntas amore proprio ſe extollens,ſtrepitus paſſionum animi frementium,quæ omnia, inter Deum loquentem, & hominem audientem interponūtur: eſt igitur opus, ut intellectu demiſſo,uoluntate inclinata ſub Diuino beneplacito, & affectionibus pacatis, audiamus Deum in nobis ſuauiſſime loquentem: conſiderantes eum, pro ſuæ Maieſtatis amplitudine, maxime cupere, ut audiatur,audita credantur,credita,peragantur: quamobrem audiant,credant, & peragant,quia Deus ita iubet, ac præcipit.

Præceptum Trigeſimum.

SOlent Communitates aliquando excipere hoſpitio Principes uiros; nihilq, prætermittere, quod utriuſq; dignitati conueniant: qua in re conſiderent Chriſtiani Decuriones, Deum ſummopere his actibus delectari, ſi ad gloriam ſuã dirigantur, quod vt facere posſint, fingant animo, ſe in Saluatorem noſtrum huiuſmodi obſequia exhibere, quod cogitabat B. Aloiſius Gonzaga, quoties iuſſu Superioris ſternebat menſam & in Principibus viris colant eorum virtutes, cũ Imperij Maieſtate coniunctas, tanquam Diuina beneficia in eos collata: Deum deprecentur, vt quemadmodum ſupra communem hominum conditionem eos fecit eminere, ita virtutibus ſanctis exornet, quibus inſtructi, regant populos ſibi commiſſos. Inde occaſionem arripiant meditandi, quomodo, Rex Regum, & Dominus Dominantium, in Sanctisſimo Sacramento eſſet excipiendus cum uero ſæpisſime accidat permittente Deo, vt Principes, quibus minime fidendum iubet, ex animo ſibi excidere patiantur beneficia, quæ à Communitatibus receperunt, vel non posſint in tempore, atq; loco, illarum publicis commodis inſeruire, Diſcant Decuriones ſumma ope niti, vt in Deum dirigant ſuas cogitationes, & facta: qui, nec obliuione, nec impotentia ingratus erit quod valde cuperem bene ponderari, quia nonnulli rationibus ſuis conſulentes, vt gratiam Principum aucupentur, indu-

cunt

cunt aliquando Commuuitates, ad immoderatas expenſas, & minime neceſſarias, quæ malo conſilio ſuſceptæ, nihil aliud ſecum afferunt, quã tardam pœnitentiam.

Præceptum Trigeſimumprimum.

CVm in Conſilijs communitatum, dicendo conſumatur ſæpe dies, uel multitudine negotiorum in aliquam partem noctis, rerum definitio protrahatur, afferri ſolent lumina, & Decuriones, bonum veſperem ſibi vicisſim annuntiãt, atq: precantur; ex quo laudabili more occaſionẽ ſumo omnes conſiliarios hortandi, vt ſecum ipſi cogitent, ſine Diuino lumine, humanam mentem maxima caligine obcæcari, vt quid ſit melius in rebus deliberandis non posſit perſpicere proinde, inuicem ſibi à Deo precibus petant, vt ſui luminis claritatem immittat, quo posſint, abſq; vllo errore ea conſilia capere, quæ ad tuendam gloriam ſuæ Diuinę Maieſtatis, & Patrię commoda curanda, meliora videbuntur: quod utiq; ſemper exoptandum eſt, præcipue uero illo tempore de quo ago: diuturno vſu edoctus, aduentante ueſpere, multos impatientia exagitari, & animum à publicis negotijs abſtahere.

Cum autem in veſperem inciderim, aliquorum impatientiam commemorans, impono finem huic ſpirituali præceptioni, ne beneuolus Lector aliquo tędio afficiatur, ea legenda, quæ, ab aliquo graui viro, & in rebus Spiritualibus bene exercitato conſcripta, maiorem auctoritatem,

tem, obtinuiſſet mihi enim peccatori obijcit Deus, illo Verſiculo Dauidis Pſalm. 49. Quare enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum: In illo tamen confido, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, aliquem fructum eos percepturos, qui animo gratificādi Deo in hanc lectionem incumbent: permultaq; alia eiuſmodi præcepta, eo adiuuante in dies addiſcent, ſi hæc pauca, qualiacunq; ſint, in vſum inducent; quod vt faciant, rogo, quid ſcribatur, & ad cuius gloriam, non à quo, benigne, & piè ponderantes: ſi enim fideles fuerint ſuper modico, efficientur digni multo maioribus donis, quæ liberalisſimus Dominus noſter, ſæpe promiſit.

LAVS DEO.

010110